

ANTONII BERGAE PROOEMIVM IN LIB. PHYSICORVM. ARISTOTELIS.



VM perobſcura atque inuoluta quæcunq. ſint, ab interpretibus adhibita ad explanationem præfationis. ad libros phyſicarum auſcultationum, ſi ante dogmatum Ariſt. enarrationem, præcipua illius capita attingerem, me operæ pretium facturum putaui, quorum primum uniuerſę, quæ de Natura eſt contemplationis, ſubiectum, ſiue materiam aperiet, ſecundum autem diuiſionem, nec non numerum, cum ordine partium illius, quas Ariſt. peripateticæ diſciplinæ princeps, conſcriptas reliquit, tertium uerò cætera inſinuabit capita, quæ inſcriptionem, ſcopum, atq. utilitatem operis phyſicorum aperiunt. Quod autem ad primum caput attinet, nondum conſtat, quid nam uere ſit commune genus toti phyſiologiæ accommodarum, quandoquidem quot quot interpretes, totidem in hanc uſq. diem ſententiæ circumferantur. Nam Latini a, quibus totam diſputationem auſpicabor, aut Ens mobile, aut corpus mobile, ſiue naturale,

aut

aut ſubſtantiam finitam, aut etiam miſtum naturale conſtituerunt commune genus naturalis diſciplinæ, propterea quòd ſubiecti proprietates præcipuę unicuiq. ex propoſitis competere uideantur. Nam Ens ipſum mobile in primis ſi expẽderimus, omnia in naturali ſcientia tradita complectitur, ad corpus uerò mobile quæcunq. referuntur, aut ut principia, aut ut partes, aut ut paſsiones. quemadmodum etiam ad corpus naturale, quod nihil aliud eſſe uidetur, quàm ſubſtantia quędam finita. Nam materia formaq. uidentur corporis naturalis ſiue mobilis principia, quia alterius corporis nequaquam ſint principia, nec mathematici, nec etiam artificialis, corpora ſimplicia, & miſta huius corporis ſunt partes, cætera uerò paſsiones, ſiue motus, miſtum uerò naturale omnia hæc habet, principia materiam primam cum forma, cauſas quatuor elementa, partes miſta perfecta, imperfecta. animata non animata paſsiones deniq. corporum omnium miſtorum, quæ cum cæteris ad miſtum corpus referuntur. Neç uidetur aliud ſentire Ariſt. cum initio lib. de cœlo doceat, ſcientiam de natura uerſari circa corpora, magnitudines, paſsiones horum, & motus. Et inſuper circa principia, quæ ſunt ſubſtantiæ talis. quod præterea colligitur initio lib. phy. cum a principijs auſpicandum doceat, quia res naturales principia habeant, cum ſint compoſitæ atq. corporee. ex Theophraſti ſententia. quo quidem corporis genere etiam diſtinguitur naturalis phyloſophia, a mathematica atq. Metaphyſica, cum mathematicæ ſint de rebus corporeis immobillibus tamen, Metaphyſica uerò de omnino incorporeis atq. immobillibus, quibus etiam ente mobili diſtinguitur, quoniam de ente ſimpliciter ſit Metaphyſica, de ente quanto Mathematica. de mobili naturalis.

Præter Latinos, alij Naturam cũ Platone in Timeo, ſubiectum cõſtituunt. quod in primis inſcriptio ipſa indicat, quæ de natura eſt, deinde uerò quoniam Ariſt. in hoc operæ methodum dicat eſſe de natura, nec non de rebus naturalibus, quę ab ipſa natura comprehenduntur, atq. denominantur, quamobrem quicquid natura non eſt, ad naturalem diſciplinam minime attineat, ſed ad metaphyſicam, aut mathematicam. nam prima materia forma, nec non forme omnes materiales, naturæ quædam ſunt, alia uerò aut a natura ipſa, aut ſecundum naturam, erit igitur proculdubio natura ſubiectum cõmune toti phyloſophiæ naturali. Themiſtius autem in paraphr. lib. 12. Metaphy. Videtur ſubſtantiam ipſam ſenſilem, quæ quidem a motu nequaquam ſeparat, hoc eſt ſubſtantiam ipſam mobilem, quoniã uideatur Ariſt. lib. 7. Metaphy. particula 5. Senſilem ſubſtantiam nihil aliud forè quam ſubſtantiam ex ſe mobilem aſſerere. quæ ſane opinio Ariſt. ipſo nititur, qui tum initio 6. tum 12. metaphy. nec non 7. contex. 24. aliud non tribuat ſubiectum naturali ſcieniæ quo a, cæteris diſtinguatur, quàm ſubſtantiam ipſam ſenſilem, tum caducam tum uerò ęternam, quoniam intelligibilem in materialem atq. ęternam tribuat Metaphyſico, cum nihil utriq. ſit cõmune: ſenſilis enim

ſenſu

sensu ipso comprehenditur quam antiqui omnes concesserunt, intelligibilis uerò, atq. immobilis solo intellectu apprehenditur. porrò sensilis substantia naturali scientia indiget, non enim ex motu euadit, secundum omnes eius partes, altera uerò ad aliam scientiam, eamq. nobiliorem, quàm sit scientia naturalis attinet, cum nihil sit commune ipsis, aut in generatione, aut in loco, aut in augmento, aut in decremento, nec commune principium habeant, a quo producantur, nam prima nullum principium habet, secundæ uerò principium est ipsa substantia prima, quæ natura prior est mutabili substantia, ex his uerò contex. aperte colligitur substantiam sensilem, quæ cum motu est, cum nihil cum immobili atq. abstracta commune habeat, ad naturalem attinere, illiusq. subiectum esse, quo a Metaphysica separatur: quod primum docuit initio. 6. Metaphy. cum inquit. Quoniam uerò physica est circa quodam genus Entis, nam circa talem substantiam, in qua est principium motus & status, quæ quidem nihil aliud est, quàm mobilis substantia, quæ eadem est cum sensili, quod uidemus etiam Auer. sentire, cum docet res sensiles inquantum transmutabiles, nec non earum accidentia subiectum esse. Nihil enim cum sit, quod ad substantiam sensilem hoc est mobilem non reducatur, quoniam materia prima talis sit, cum principum motus passiuum existat nec non forma, demum natura omnis, cuius principia partes atq. passiones in naturali disciplina explicantur, nihil uidetur aptius statuendum fore, pro materia uniuersa totius physiologiæ, quàm sensilis hæc siue mobilis substantia, cum substantiæ considerationem Metaphy. & naturalis sibi uindicarint. ex Arist. præceptis, atq. Auerroys. Mathematicæ autem ipsorum accidentium.

In hac uerò opinionum multitudine, difficillimum multis uisum est, aliquid pro Veritate statuere, cum alij ad rem nihil attinere putent, quodcunq. dixerimus, propterea quòd hæc solis nominibus inter se distinguantur, quod tamen mihi nunquam placere potuit, quoniam si uim eorum expenderimus, ualde differre uideantur. Nam Ens mobile quid communius corpore denotat, cum etiam ad corporis principia ad animam se extendat, & cæteras formas quæ non solum mouent, sed etiam mouentur, corpus uerò etiam latius patet, quàm mistum, cum de simplicibus etiam corporibus dicatur, mistum uerum solum de his, quæ ex quatuor elementis producta sunt, & constituta, substantia, præterea sensilis non adeò communis est, ueluti Ens mobile, quod etiam accidens comprehendit. quare aliter definiendam esse huiusmodi controuersiam existimo, atq. Vnum eorum, quæ recensuimus, pro subiecto genere totius scientię naturalis constituendum fore. quod sanè commode prę stabimus, si unamquamq. opinionem antea expenderimus: In primis ergo minime uidetur apta ea opinio, quæ profitetur Ens ipsum mobile genus siue materiam naturalis disciplinæ esse, propterea quòd operæ pretium esset, Metaphysicam de Ente immobili quod opponitur Enti mobili existere, quo posito con-

to consequeretur Metaphy. esse scientiam particularem, non autem communem, quod Arist. negat, cum Logica & Metaphy. scientiæ communes sint. præterea nullum etiam indicaretur penes subiectum discrimen a mathematica, quæ etiam de Ente immobili esse uidetur: præter ea nullo loco Arist. proposita Entis diuisione in mobile atq. immobile, scientias speculatiuas distinxit aut illarum numerum definiuit, Nam de Ente simpliciter docet lib. 6. Metaphy. esse Metaphysicam; de tali Ente, quod habet principium insitum motus naturalem, quæ est scientia Theorica, non autem aut practica aut factiua, opinio præterea quæ profitetur corpus mobile, minime congrua est, in primis quoniam multa in naturalibus tractentur, quæ corpora non sunt, prima materia, primum mouens, anima, quæ substantia quædam est in corporea, ex Arist. sententia, deinde uerò quoniam lib. 6. phy. probet Arist. corpus mobile esse, quod conditionibus subiecti repugnat. Nec obstant fundamenta, quibus hæc opinio mittitur, primum enim ab Arist. propositum initio lib. de cœlo, non statuit corpus esse materiam uniuersam, sed alia multa adiungit, præter corpus, quæ quidem etiam si ad corpus referantur, ob id tamen corpus non erit subiectum. quia alia ad subiectum commune requirantur, præterea multa sunt, quæ ad corpus minime referuntur, ut primum mouens. anima intellectiua, quæ nullam cum corpore communem actionem habent, præterea non urget fundamentum ex lib. post annaly. subiectum habere principia partes & passiones, quæ corpus mobile admittit, ob duas rationes, primum quoniam propositio Arist. de subiecto principali non totali Veritatem habet, quoniam tale cum simplicissimum sit principia non habet in complexa, sed tantum principia complexa ex quibus. passiones in his quæ ab eo continentur ostendimus quod in scientia de Deo maxime est conspicuum atque de Ente quatenus Ens, quæ principia essendi nulla habent, de totali autem scientiæ subiecto nihil quod ad si est, & quid est attineat, in scientia propria ostendi debet. quoniam id omne a, superiori artifice desumitur. nimirum ergo si Arist. dixerit; genus subiectum non autem subiectum simpliciter atque absolute, quoniam subiectum commune principia essendi non requirat, sed tantum principia quæ ad demonstrationes requiruntur, quæ principia cognoscendi uocantur. præterea corpore mobili apte non distinguitur naturalis a, metaphysica, cum de corpore separato atque immobili non sit metaphy. cum tale in rerum natura nequaquam detur, omne enim corpus præter mathematicum mobile est. atque in loco continetur. Nec minus mistum erit, cum minima pars sit de mistis. Sequitur igitur nullam magis ex Arist. fontibus peripateticam, fore ea opinione, quæ profitetur substantiam ipsam sensilem, hoc est ex se mobilem, subiectum esse phylosophiæ naturalis, in primis quoniam ex substantia & accidente quæ sunt primæ entis partes scientias speculatiuas ratione subiecti distinxerit, numerumq. illarũ definierit, deinde uerò quoniam nihil sit in naturali disciplina tra

tum

ditum, quod sub hoc substantię genere non contineatur, & ad quod non reducatur. de qua nihil quod ad si est, attineat docet, cum substantiam mobilem esse, atq. sensilem in Metaphy ex Antiq. consensu doceat, eamq. definiat: quamobrem Natura excluditur, cuius quid est tradit atq. quoniam dubium sit an omnis anima natura sit; paucaq. admodum lib. 2. Phy. de natura tradita sint, ob materiam formam atq. motum. non autem principaliter, quoniam de illa agat ut quodam principium est cognoscendi. Nec urget inscribi scientiam de natura, quoniā ita inscribi noluit Arist. ut quodā maxime cōe haberet, quod quo a Metaphysica distingueretur. quia non semper a materia inscriptio sumitur. Erit ergo substantia ipsa sensibilis, quę quidem nihil aliud est quàm substantia ex se mobilis, comune subiectum uniuersę physiologię, quo a metaphysica distinguitur & mathematica tanquam suo subiecto, quę quidem cum eterna tum caduca existit, ex Arist. sententia, quem cum immitari possumus ad alios confugere minime conuenit.

Diuiditur autem contemplatio de natura in duas principes partes, quarum altera communia, altera uerò propria continet. priorem Arist. lib. phy. auscul. tradidit, posteriorem verò in cęteris physiologię operibus. Cum autem communium tractatio eam quę propriorum est antecedat, eodem auct. initio. lib. de partibus animalium, propterea quod ab illis semper auspicandum sit, quę notiora sunt & a quibus facile omnes discunt, iccirco lib. phy. auscultationum primum locum inter partes naturalis phylosophię obtinuerint, propterea quod in illis Arist. de principiis primis atq. cōmunissimis corporum omnium natura constantium disserat, nec non de his, quę cōmuniter res omnes naturales consequuntur, de motu uidelicet loco atq. tempore, quę per se, de uacuo preterea atq. infinito, quę per accidens consequi censentur quorum tractationem ea quę in lib. de coelo proponitur, sequitur in quibus de uniuerso & partibus illius agitur, de coelesti inquam corpore & quatuor elementis, quatenus simplicia corpora sunt; & simplicibus motibus feruntur. quę quidem cum simplicia corpora sint, mistorum doctrinam tum naturę tum doctrinę ordine antecedunt, quamobrem tertio loco libri de ortu atq. interitu collocantur, in quibus de mutationibus rerum omnium generabilium atq. corruptibilium, nec non de materia illorum propria & mutationum causis differitur ab Arist. quos libri de mistis sequuntur, inter quos primum occurrit opus meteorologicum, in quo de mistis primum imperfectis doctrina continetur, quę ex utraque exhalatione ortum habent tam intra terrā quàm in sublimi, secundò uero loco liber quartus falsò meteorologicus nuncupatus, cum ab Arist. periton myctou inscribatur, hoc est de mistis, quia primus sit in quo de his quę uere mista sunt agatur, cuius initio operis meteo. non meminit, quemadmodum etiam nec initio lib. de generatione, quamobrem cum illis perperam connectitur, cum separatam uideatur tractationem constituere. Huic succedunt libri de animalibus & plantis, in

b quibus

quibus potissimum de materia uiuentium omnium disserit. Arist. quibus libri de anima succedunt, in quibus de anima, forma omnium uiuentium doctrina traditur, quæ ortui atq. interitui, sunt obnoxia, ad quos libri paruorum naturalium, qui sunt finis uniuersæ de natura contemplationis, consequuntur, in quibus de operibus, siue actionibus uiuentium omnium contemplatio continetur. quamobrem nullus commodior ordo atq. numerus partium phylosophiæ naturalis statui potest, cum in re hac Arist. initio lib. meteo. atq. allibi apertum habeamus. Nimirum ergo si libri phy. auscult. cum sint de rebus communissimis, inter acromaticos primum locum obtinuerint. ob quam sanè rationem auscultatorij ab Arist. sunt nuncupati, cum enim de rebus arduis, concisis adhibitis rationibus, in illis doctrinam instituerit, præceptoris operam inter cęteros requirunt, quemadmodum. Ad Alexandrum scripsit Arist. qui inter cęteros eorum lectione dignus uidebatur, cum Reges omnes rerum gestarum gloria, & sapientia procul dubiò superarit, quamobrem incredibilem huius operis futuram utilitatem, conspicuum esse arbitror, propterea quòd ad diuinarum rerum & naturalium contemplationem, necnon ad alias præclaras artes nullus aditus esse posit, absq. cognitione eorum, quæ hoc opere continentur.

De quo sanè minime in controuersiam uertendum est, an, ad negocium naturale attineat, cum uideatur uniuersæ tractationis de natura, prooemium huic operi pręmittere Arist. atq. quod omnia sint cum motu tradita, quæ in eo docentur, nec simpliciter sed ut ad res ipsas ueluti principia referuntur. Nec obstat, quod a nonnullis proponitur, excludere Arist. librum octauum a physico negocio, propterea quòd particula 4. doceat, inchoandum esse ab his, quæ tradita sunt in physicis, ac si liber hic non sit physicus, quod propterea ea ratione ostenditur, quoniam primum efficiens & mouens uideatur ad Metaphysicum attinere, qui de primis principijs & causis disserit, si enim ad naturalem ea mouentia attineant, quæ mouendo mouentur, primum uerò mouens, nec per se nec per accidens moueatur, minime illius consideratio physica erit. Vt dissoluatur quæ allata fuerunt, in primis intelligendum est, idem partibus naturalis phylosophię contingere, quòd partibus mathematicarum accidit, inter quas quædam sunt, quæ proprius ad naturalem disciplinam accedunt, ueluti Astronomia, quę motus coelorum speculatur, quæ tamen in ordine mathematicarum continetur, inter partes naturalis phylosophiæ, quędam ad diuinam accedunt, ut libri de anima, & octauus hic de primo motore, qui tamen a Naturali consideratur, quia sit primum efficiens motus, non autem ut Deus est, aut primum agens, quoniam penes hanc rationem ad diuinam spectat. iccirco solum si est naturalis attingit, primi mouentis, nec ulterius progreditur, quare ea necessarium est moueri mouentia, quorum etiam quid est naturalis artifex docet. ob hanc uerò causam uidetur partem eam, in qua de motu differitur uere physicam asserere, quoniam lib. 1.

cum disserit de principijs, uideatur habitu superioris artificis induere lib. uero octauo in omnibus habitum naturalis phylosophi minime retinere, cum agat de mouente immobili. ad quod necessarium est reducere cętera mouentia, quę non tantum mouent, sed etiam mouentur. cum ergo non simpliciter lib. 8. de primo mouente agat, sed ut est primum efficiens motus, naturalis erit liber octauus huius operis.

ARIST. PROOEMIVM IN LIB. PHY.

PARTICVLA I.

Quoniam cognoscere ac scire contingit circa methodos omnes quarum sunt principia aut causę aut elementa ex horum cognitione.

RECTE uidetur Arist. libros physicarum auscultationum a communissimo exordio auspicari, cum institutum illius sit, in illis principia prima atq. cōmunissima rerum omnium, quę natura constant, docere a quibus Plato in Timeo etiam rerum naturalium contemplationem suscipit. Hæc autem Platoni erant materia cum ydea, & Deus. Aristoteli uerò prima materia, forma, priuatio, primum mouens, esse uidentur, quibus cætera quæ communiter res naturales consequuntur, adiungit, motum, tempus, locum, uacuum, atq. inane: in his enim libri physicarum auscultationum potissimum uersantur, in quibus pars cōmunissima & prima Naturalis disciplinę continetur. Cum ergo cōmuni admodum utatur. Arist. exordio, tria more optimi Rhetoris proponit, in primis operis huius scopum siue intentionem, deinde methodum toti naturali disciplinę cōmunem, Demum uerò ordinem, quo in rebus naturalibus tractandis uti instituit. Scopum autem pręmittit ne huc atq. illuc uagemur, sed in re certa persistamus, atq. ad eam omnia dirrigamus, Methodum autem ut facille ea, quæ per obscura sunt perdiscamus, ordinem uerò ut omnia suo loco habeantur, ne tractatio ipsę confundatur. Nam procemium Arist. non omnibus suis operibus, quod hęc tria capita aperiat, præponere solet, sed his solum, quæ in arte principatum obtinuerint, iccirco procemio rethorico etiam utitur initio operis de anima. in alijs uerò operibus eam ob causam præfatione utitur, ut scopum, siue intentionem ipsam aperiat. Ex his autem satis constare arbitror, Arist. propositum in hoc capite esse, præfationem præmittere, ante-

quàm de principijs disserere aggrediatur, a, quibus in hoc opere Naturalem phylosophiam exorditur. in hac uerò prima particula scopum siue intẽtionem huius operi primariam exprimit, quam in principijs scientiæ naturalis constituit, quodam proposito Enthimemate, cuius antecedens a dignitate quadam nota desumitur, quam solum maneriæ disciplinę ueram esse ostendit, qua sanè uti consueuit in his, quæ exactam demostrationem minime requirunt, sed fide tantum, aliqua egent, quæ aut inductione, aut exemplo, aut testimonio a cõmuni consensu desumpto, niti uideatur, quibus propositiones, quæ per contradictionem proferuntur, nequaquam opus habent. cuius generis in hoc opere ea est, a qua Arist. tractationem principiorum exorditur. Necesse est aut unum esse principium aut plura, inter dignitates contradictoriè propositiones certissime sunt, primumq. gradum in ueritate obtinent, quare nullam requirunt ostensionem, quæ uerò medio quodam modo se habent, inter illas, atq. eas quæ penitus ignotę sunt, maneriem disciplinę admittunt, ueluti hęc est, a qua Arist. procemium auspicatur. scientiam omnem, quæ principia habet, aut causas, aut elementa, ex eorum præceptione contingere in qua Enthimematis antecedens continetur, ex quo eam colligit consequentiam, in scientia naturali ab ipsis principijs initium sumendum esse, in qua sane consequentia primariam huius operis intentionem nobis Arist. aperit de principijs enim atq. de motu sunt lib. physicorum ab eo conscripti, ex Grecorum interpretum sententia; hanc uero rationem ad sylogismum perfectum reducere possumus, hunc in modum. sciẽtia cuius sunt principia, ex principiorũ notitia contingit, scientia naturalis principia habet, cum sit de rebus naturalibus, quæ compositę sunt, igitur in scientia rerum naturalium a, principijs illarum exordiri necessarium extat. minorem uerò Arist. breuitatis causa prętermisit, omnem uerò scientiam speculatiuam habere principia, lib. 6. Metaphy. docuit Arist. quo loco scientiarum speculatiuarum principia, causas, atq. elementa esse docet. Nec laboro, etiam si alius rationem ipsam rebus acõmodet, quoniam scientia omnis speculatiua de rebus sit, in quarum exacta tractatione artis rerumq. principia constitutiua connectenda ueniunt, quod alij interpretes cum non animaduerterent, procemium totum per obscurum reddiderunt. quod suo loco docebimus. His autem explicatis quæ ad huius particulæ seriem uniuersam attinebant, reliquum est, ut singula, quæ in ea continentur diligenter expendamus, in qua primum occurrit particula. Cum, siue quoniam, quam nonnulli expungendam ab antecedente siue maiori propositione cum Phyloppono cẽsent, minoriq. adendam ut clarior ratio reddatur, quod tamen præstari non debet, cum a causa exordium sumens Arist. magis certam maiorem propositionem reddat, a, qua auspicatur, sequitur particula cognoscere, & scire quibus, ubi noluit Arist. ut exactam perfectamq. cognitionem indicaret, quæ a, uera scientia minime distinguitur, quoniam cognitio quid ipsum scire cõmunius uideatur, cũm etiam opinionem comprehendat, nec

 alterum

alterum ad definitionem, alterum uerò ad demonstrationem referendum est cum hoc loco de instrumentis scientiarum nullam rationem Arist. habeat, sed de ipsis met rebus siue scientijs, nec uitio uertendum est Arist. quod speciem generi adiunxerit, cum sinonimis ad interpretationem utatur aliquando. quemadmodum hoc loco uti uidetur, sequitur deinde particula Methodos, quam alij doctrinas alij scientias uertunt; cum tamen aperte methodo particula hoc loco utatur, quæ emphasim quandam habet, cum enim scientię, quę a principijs ad ea quę ex principijs procedunt, methodo & uia, quę cum ratione incedit ni. antur, methodi recte apellantur, quare tum scientiis tum doctrinis propositio Arist. conuenire etiam potest, ut mathematicis logicę, scientiisq. omnibus speculatiuis, quas principia & causas habere, docuit Arist. in Metaphy. Si ergo uerbum uerbo reddiderimus, methodos legendum est, quę sane methodus nihil aliud est; quàm habitus qui uiam pręstat cum ratione. addidit pręterea eam particulam, quarum sunt principia, auctore Phylopono, propterea quòd non omnis ars siue scientia propria principia habeat, cuiusmodi illę sunt, quę diuersarum scientiarum principia sibi acommodant, in quorum numero uidetur dialetica cũ Rhetorica, quę cõmunibus alienisq. utuntur, cum circa quamcumq. materiam uersentur, nec non illę, quę quidem definiendo solum, aut diuidendo incedunt, ueluti ars Galeni medicinalis. Quę uerò contextum hunc perobscurum reddiderunt, ea sunt uocabula, principia, causę atq. elementa, in primis autem controuersia uertitur apud interpretes, an cõmuniter an uerò proprie hoc loco his nominibus Arist. utatur. Auer. in primis tribuit Alexandro, proprię sumi hęc nomina, quoniam per principia causas mouentes atq. agentes intelligat, per causam finem, per elementa materiam & formam, cum non omnia causarum genera in quauis scientia reperiantur. atq. quoniam disiunctiue Arist. loqutus sit quod etiam Auer. sentit, quoniam in Mathematicis solum causa formalis appareat, in Methaphysicis autẽ nulla materię ratio habeatur. in naturali uero omnium. Simplicius autem Alexandro tribuit, quòd Eudemum sequatur, quoniam per causam non solum finem, sed etiam formam, per elementa uerò materiam tantum intellexerit, quoniam aliis causis si conferatur, uere sit elementum, forma uerò cum sit terminus mutationis, uidetur esse id cuius gratia, efficiens autem causa, cum sit principiũ unde motus, uere est principium. Porphyrius autem per principium & causam eadem intelligi uoluit, quoniam totidem modis dicatur principium quot causa, etiam si principium magis pateat ipsa causa, quod tamen subiecto a causa minime distinguitur, at sola ratione, quoniam principium dicitur quatenus antecedit, causa uerò quatenus quidpiam efficit, auct. Arist. lib. 5. Metaphy. cap. de principio & causa. Phylopponus ob rei difficultatem, duas proponit horum uerborum interpretationes, alteram aut principium & causam in eadem significatione, pro efficiente & fine sumpta esse, elementum uerò pro materia & forma, alteram autem cõmuniter principij

cipii nomen sumptum esse, causam tamen finem atq. efficiens denotare, elementum materiam & formam. Simplicius cum Themistio principia etiam quid comune causis atq. elementis significare, cum principium ex Arist. lib. 5. Metaphy. non solum dicatur de principio transmutationis, uerum etiam de quatuor causis, unde omnis causa principium est, non econuerso, propter priuationem, quę cum sit principium, causa tamen non est, quare proprię his uocabulis nequaquam utitur hoc loco Arist. sed cōmuniter, ac si dicat, omnis scientia habens principia, quę fuerint aut causę, aut elementa; comparatur ex illorum pręcognitione, quare per causas principia cōmunia, per elementa propria intelligi possunt, quę quidem principiorum genera maxime in naturali disciplina apparent. hoc autem modo locum hunc intelligendum esse, etiā particula disiunctiua indicat, qua utitur Arist. atq. quòd sit in prooemio cōmunissimo, in quam etiam sententiā Recentiores descendunt, qui nihil attinere ad rem hanc putent, siue fuerint principia siue causæ, siue elementa, quoniam scientię quę principia habent, cuiuscumque naturę sint, ab illis necessarium est in cognitione ut dependeant. iccirco Arist. hos libros auspicatur ab elementis, quia principia de quibus disserit elementa uocarit, atq. quoniam materia & forma sint elementa rerum cum illis insint, quę sanè opinio etiam si uideatur apparentiam quandam habere, non tamen priuationem comprehendere potest. cui nullo pacto elementi ratio conuenit, quemadmodum principio. & causę, quia sit mutationis principium. pręterea in conclusione cum principiorum tantum meminerit Arist. non possunt elementa intelligi, deinde uerò quoniam in naturali disciplina pręter elementa principia & causæ habeantur, quare elementa principia ipsa uocauit, ut alluderet ad antiquos non autem ex propria sententia; quemadmodum lib. Metaphy. 11. particula 31. Quod tandem minime uerum esse id satis indicat, *quod* in testimonio omnia atulerit principia, uidelicet causasq. elementa. Ad Auer. & Alexandrum dicimus, minime uerum esse, quòd proprię his utatur uocabulis, cum sit in loco adeo cōmuni. pręterea Arist. aperte repugnat, qui scientiis omnibus speculatiuis omnia concedit lib. 6. Metaphy. quo loco tradit scientiarum speculatiuarum maxime esse principia, causas, atq. elementa, ac si nulla sit quę omnia nōn admittat, quod ex Alexandri atq. Auerroydis interpretatione tollitur. Nam mathematicas materialem causam considerare, certissimum est, quę quidem intelligendi principium est. Metaphysicum autem nequaquam dubium est, de omni causarum genere disserere, atq. eminenter de omnibus, quę scientię illę subiectę speculantur. Quod uerum fore inductione ostenditur. Nam mathematicę materiam habent, quę in numeris & sonis est constituta, quorum passiones demonstrat, non enim formę simpliciter quędam sunt, quoniam in illis materia quędam intelligibillis appareat, superficies enim est materia trianguli circuli, cęterarumq. figurarum, ęqualitas & inequalitas uidentur passiones siue qualitates in subiecta, linea

præ-

prętérea uidentur nonnulle demonstrationes in mathematicis per materiam, ut cum probatur, omnis figurę quadrilatere angulos equales esse, quatuor rectis, per diuisionem figurę quadrilatere, in duo triangula, & quodlibet triangulum habere tres angulos equales duobus rectis; si autem materia in mathematicis reperitur, inerit etiam ipsum efficiens, mens ipsa quę lineam extendit atq. producit, ad quas sanè causas finem aliquem consequi necessarium extat, cum omne agens propter finem aliquem agat. Metaphysicum autem materiam sensilem considerare certum est, cnm eam definiat lib. 10. Metaphy. atq. de illa cum antiq. disserat lib. primo, quare perperam Auer. sentit nullam pręter naturalem de causis omnibus scientiam speculatiuam cōsiderare, nec omnium principia causatq. elementa fore, quia his uocabulis proprie utatur, cum particulam disiunctiuam interposuerit Arist. quomodo enim causas omnes a Metaphysico sumeret naturalis, quę sunt propria illius principia; nisi metaphy. de omnibus dissereret. Quod si aliquis pro Auerroe dixerit, icciro ab aliis tollere omnia causarum genera, quoniam Metaphysicus per materiam minime demonstret, hoc falsum est, cum ex numero orbium concludat numerum intelligentiarnm, qui quidem materia sunt illarum. Eudemi sententia proprium etiam errorem continet, quoniam in naturalibus sola materia elementum nequaquā est, sed etiam forma. etiam si materia simpliciter absoluteq. cōsiderata, uideatur uerè elementnm, quemadmodum ex elementi ratione tradita lib. 5. Metaphy. colligitur, quod signum est proprię hoc loco elementum minime sumptum fore, sed communiter, ut formam etiam comprehendat. Porphyrii autem interpretatio nequaquam uidetur digna reprehensione, cum non multum differat ab ea quę simplicis extitit atq. Them. qui Arist. communiter hoc loco his uocabulis uti uoluerunt, atque principium quoddam cōmune ad causas atq. elementa denotare, quā ratione particulam disiunctiuam adidit Arist. Nam hanc potius quam cęteras in sequendam series contextus satis indicat, cum in conclusione tantum principiorum mentio habeatur, nec non quia in testimonio omnia repetat. Nam principium esse cōmune causę atq. elemento lib. 5. Metaphy. scribit Arist. in cap. de principio, nec aliter locus hic intelligendus, est, ut priuationem, primum mouens & principia doctrinę comprehēsa uideantur, atq. ne aliter illis uti in testimonio cogamur, quemadmodum contigit Auerroi, constitutum igitur sit in antecedente, per principia, quid cōmune causis atq. elementis intelligi, quoniam utrisq. principium cōmune sit, cum. ex lib. 5. Metaphy. contex. 4. omnis causa principium sit, omne uerò principium nequaquam causa sit, ob priuationem, quam Arist. contra Platonē inter principia connumerauit eamq. ab ipsa materia distinctū principium facit quod nō solum docet de quatuor causis dici uerum et de principio transmutationis, quoniam priuatio inter causas per se non connumeratur, per causas uerò hoc loco efficiens & finem, per elementa concausas, materiam uidelicet & formam, aut per causas remotas, per elementa proximas,

ximas, quoniam utrumq. genus causę ad perfectam cognitionem necessarium uideatur, quod Arist. in tota disciplina prestare uidetur, cum non solum cõmunes rerum naturalium causas, sed proprias etiam tradat. Axiomate uerò proposito, in quo antecedens siue maior rationis pręmissa continetur, manerię disciplinę illam ostendere aggreditur, cum subdit. (tunc enim arbitramur unumquodq. cognoscere cum causas primas cognouerimus nec non principia prima usq. ad elementa.) hoc enim testimonium quodam est a communi consensu desumptum, quo quidem utitur initio lib. post analyt. cum recte traditam esse definitionem ipsius scire ostendere contendit, cum enim ex Topicis propositio famosa non sit omnino falsa, nimirum si Arist. hoc loco non utatur exacta demonstratione, quo sanè demonstrationis modo, etiam utitur lib. 2. Metaphy. contex. 13. quo loco ostendit, in causis non dari processum in infinitum, propterea quòd nihil sciri contingeret, quod falsum est, cum tunc scire putamus, cum causas ipsas nouerimus: cum autem maior propositio, a qua prooemium auspicatur, non sit summę nota, iccirco testimonio quodam proposito illam Arist. confirmat, in quo sanè etiam maxima difficultas continetur, in primis autem an Arist. hoc loco utatur processu resolutiuo, an uerò compositiuo, cuius occasionem. prębuit particula primum, addita causis atq. principiis, quoniam hac particula quandoq. utatur Arist. pro immediato ut in lib. post. aliquando uero pro eo, quod summum in unoquoq. ordine causarum denotat. quo quidem modo utitur lib. 2. huius operis, cum docet quęrendam esse summam uniuscuiusq. rei causam, quamobrem Vicomercatus resolutione uti Arist. arbitratur, Auer. autem cum Them. & Simplicio compositione. Ego in ea etiam sum sententia Arist. resolutione nequaquam uti, ne in tam paucis ęquiuocationem committere uideatur, deinde uerò quoniam solet Arist. addere per se ipsi primo, cum id quod immediatum est denotare intendit, prętarea ordo quo Arist. uti instituit a, magis uniuersalibus ad minus uniuersalia, aliter rem se habere docet, quoniam semper a causis prioribus ad posteriores progrediatur, nec non a principiis remotis ad proxima, in quo sanè processu naturam generantem immitatur, quo sanè modo procedendum fore docuit aperte initio. lib. de partibus animalium: Nisi ita Arist. locus intelligatur, nequaquam ratio reddetur, quare de priuatione agatur, cum illa nullo modo elementum sit, quapropter particula usque interposita in ipso testimonio uicem coniunctionis copulatiue supplebit, ueluti lib. 1. analyt. sed ordinem potius denotabit, nec etiam addita erit ea particula usq. ad elementa, ut sit explicatio eius, quod dixit prima principia, ueluti Vicomercatus in suo cõmentario scribit, quoniam sequeretur Arist. non cõmunissima, sed proxima rerum naturalium in his lib. tradere principia, quod ualde absurdum est. Nec urget quod proponitur, Mathematicas hoc ordine incedere, quoniam in illis solum Theorematibus quę sunt artis initia, nitamur, quę dicuntur principia cognoscendi, non autem essendi. Nam etiamsi uideatur mente & animo hoc locum

ꝛco resolutionem quandam concipere, illa tamen non utitur ut doceat, resolutiua methodo naturalem disciplinam tradere, cum compositiua uti Arist. sit conspicuum cum a, communissimis principiis & causis ad proprias proficiscatur, quemadmodum si quispiam in dictionibus a, litteris ad sillabas a sillabis ad dictiones progrediatur, per primas ergo causas primaq. principia, nil aliud intelligendum est, quam summas causas & summa principia, per elementa uerò proxima atq. immediata. cum ad uniuscuiusq. rei perfectam noctitiam, omnium causarum notitia requiratur. Quemadmodum ex lib. 2. habetur huius operis, scire igitur siue cognoscere unumquodq. arbitramur, cum non solum, summas uniuersalissimasq. causas cognouerimus, sed etiam processerimus ad causas proprias atq. immediatas. Nam in perfecta hominis notitia, nó tantú intelligere oportet, quod sit animal, sed quod tale animal rationale uidelicet mortale risibile. Nec in rerum naturalium solius primę materię cognitio sufficit, sed propriam omnium generabilium adiungere oportet, quam Arist. lib. de ortu atq. interitu quatuor statuit elementa, nimirum ergo. si in 4. particula doceat, a magis uniuersalibus ad minus uniuersalia proficiscendum esse, tum in tota tractatione, tum uero in propria, quia semper a communibus Arist. exordiatur. Non igitur ad resolutionem locus hic trahi debet, quę sanę nihil aliud est, quàm methodus siue uia resoluendi posteriora ad priora, cui quidem diuisio opponitur, in qua secamus priora in posteriora, ut genera in species, totum in partes, cum sit uia diuidendi unum in multa. pręter has cópositiua est methodus, quę a resolutione oritur, in qua a, principijs ad ea, quę ex principiis progredimur, qua uniuersam physiologiam tradit Arist. Nec aliter testimonium propositum, quod a, rebus desumpsit, quarum scientiam quęrimus intelligendum est, ne uniuersum ordinem subuertamus, quem Arist. seruare instituit, His uerò ita explanatis quę ad antecedens pertinebant, tandem Arist. consequens siue id quod conclusionem ipsam sequitur colligit, cum ait. (Manifestum est quod & ea quę sunt circa principia scientię, quę de natura est primum determinare tentandum) in qua sanè conclusione materia, siue intentio huius operis explicatur, quæ quidem in primis & communissimis rerum naturalium siue scientiæ naturalis principiis est constituta. Nec accusandus uenit Arist. etiam si rectam conclusionem omittat, cum id quod illam sequitur interponendum iudicauerit, ut materiam huius operis initio totius tractationis insinuaret. cum ergo res naturales suis principiis cognitis intelligantur, ęquum est, ut primum de principiis ipsis disseramus, cum autem in hac conclusione principiorum tantum meminerit, indicium est, principium quid commune causę atq. elemento hoc loco denotare, addidit eam particulam circa, propterea quod de aliis disserat, ut de communibus consequentibus, de primo mouente, quę rationem principii obtinent in tota facultate. Quod uerò hoc loco dubitationem facit, est, an hęc principia sint tantum rerum principia, scilicet essendi, an etiam artis, ueluti Theoremata & propositiones. Ego

tamen censeo in scientiis utrumq. genus prę terquam in mathematicis coniun gendum, ita ut conclusio hęc ad utrumq. principiorum genus referatur, atq. ad ea quę naturalis disciplinę propria censentur, quoniam communissima & suprema Metaphysicus doceat. Vnaquęq. enim ars circa sua principia, quę alterius non sunt uersatur. iccirco aliter de materia prima primo motore differit naturalis, & de causis, aliter Metaphy. similiter medicus aliter de elementis, quam Naturalis phylosophus, a quo sua sumit principia.

PARTICVLA II.

Innata autem est nobis uia ut ex notioribus nobis ad notiora natura proficiscamur.



VM in superiore particula docuerit Arist. in Scientia naturali ab ipsis principijs auspicandum esse, in quibus primaria huius operis intentio constituta uidetur: propositum in hac particula est, Methodum docere, quæ non solum ad principiorum intelligentiam necessaria est, sed etiam cuius futurus est usus, in tota rerum naturalium contemplatione, quæ sanè methodus siue uia cum nobis innata sit, demonstratione quia nititur, in qua a, notioribus nobis ad notiora natura proficiscimur. Hæc autem potissimum in principiorum tractatione requiritur, cum simplicissima sint atq. a sensibus nostris remotissima, quando quidem cum priora nequaquam habeant, alia methodo innotescere nequeant, quemadmodum cętera, quæ uniuersalissima sunt, quę ex parte nostrę cognitionis latere uidentur. Esse autem hanc methodum, quę demonstratione quia nititur, opportunam. Arist. huiusmodi ratione colligit, innata est nobis uia ut a, notiorib. nobis ad notiora natura proficiscamur, in scientijs in quibus non sunt eadem nota nobis & natura. In scientia naturali non sunt eadem quemadmodum in mathematicis, igitur in naturali scientia a, notioribus nobis ad notiora natura est procedendum. cuius sanè rationis minorem Arist. reliquit, cuius loco rationem addit, quam nos maiori propositioni adiunximus. Nihil enim adeo obscurum est in naturali tractatione, quod hac methodo non assequamur, siue si est siue ipsum quid est rerum quęramus. nam materiam primā pręter contraria dari hac uia docuit Arist. nec non definitionem animę. quod breuitatis causa in multis alijs hoc loco minime docebimus. Cum etiam ad alias quęstiones sit necessaria, quoniam multiplices animę facultates uarię actiones indicarint. nimirum ergo, si rarò ad modum alia methodo Arist. Vtatur, quoniam nulla ob nostri intellectus imbecillitatem, commodior in rebus perobscuris explicandis excogitati poterat, qua quidem etiam in Metaphysicis utitur, cum uarias a motu demonstrationes suscipiat.

scipiat. Dixit autem hanc methodum innatam, quoniam doctrina atq. arte minime comparetur, sed nobiscum orta uideatur, cum omnis nostra cognitio ab ipsis sensibus originem habeat, auct. Arist. cum docet nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: iccirco hac uia Vtendum esse, propterea quod Discant omnes hoc modo, ex minus notis natura ad magis nota proficiscentes, per natura. notiora nil aliud intelligit, quàm ea, quę simpliciter, hoc est suapte natura nota sunt, cuius generis ea fore perhibentur., quę maxime entia sunt, quemadmodum intelligibilia, quibus sensibilia minus Entia esse uidentur, quę, nobis notiora sunt, cum sensibus sint conspicua. substantię etiam accidentibus si conferantur, erunt natura notiora, quoniam substantia per se non sentiatur, sed per accidens. accidentia uerò per se sentiantur. quamobrem dicuntur notiora nobis quod si uerū est, singularia erunt notiora nobis, uniuersalia uerò natura. Effectus similiter erunt nobis notiores, causę uerò effectuum natura notiores in mathematicis uerò hac methodo opus nequaquam est, cum ab his quę sunt nota nobis & natura demonstremus. Et quia principijs essendi careant, cum tantum Theorematibus quibusdam, nec non principijs cognoscendi utantur. ratio itaq. quā adiungit Arist. cum ait Non enim eadem sunt nota nobis & natura, in mathematicis nequaquam uera est, sed tantum in naturali, atq. metaphysica disciplinis nimirum ergo, si indefinitę illam pronuntiauerit Arist. cum duę subcontrarię ex logicis pręceptis, simul uerę esse posśint. nam uerum est asserere, quędam sunt nota nobis, & natura, ut in mathematicis, quędam non sunt nota nobis & natura, ut in naturali disciplina atq. metaphysica in quibus cogimur hac methodo uti, quę a notioribus nobis ad notiora natura progreditur: dicitur autem hęc methodus uia, per quandam similitudinem. Videtur autem Plato etiam huius methodi meminisse, cum quęreret an a, principijs, an ad principia uia esset, an econuerso, si quidem a, notioribus semper sit inchoandum, quem in Eth. Arist. sequutus uidetur, cum docet, ignorare nos nequaquam debere, rationes quę a, principiis oriuntur ab eis differre, quę ad principia proficiscuntur. Recte igitur Arist. hanc methodum significauit initio huius operis, cum ex ignotis nulla scientia, nulla deniq. cognitio comparetur. in qua a, sensibus ad intellectum proficiscimur, siue a, sensilibus ad intellectilia, quo quidem cognoscendi modo, qui pręceptorius uidetur, ut notat Phyloppo-nus, in his utimur, in quibus non est facultas utendi ueriore demonstratione, ac potiore, quod sanè fit, quia sępe numero natura rerum hoc modo se habet, cum principaliora non admittit, uel si ea habeat, sunt tamen nobis oculta, minusq. manifesta. Vt cum Lunam ex diuersis illuminationibus sphęricam ostendimus, non autem quia sit quintę essentię, quoniam non potest aliquod corpus orbiculare esse, quin fuerit ęternum, nobis autem est occultum corpora cœlestia sempiterna fore, quare cogimur per ea, quę nobis notiora sunt, figuram illorum sphęricam esse, monstrare, quod quidem in supremis

generibus contingit, quorum descriptiones, non autem definitiones afferre cogimur.

PARTICVLA III.

Sunt autem nobis primum nota atq. manifesta confusa, magis posterius autem ex his nota fiunt elementa & principia his qui hæc diuidunt.

CVM docuerit Arist. in particula quę hanc antecedit, in naturali disciplina siue principiorum notitia inchoandum esse a notioribus nobis, scopus in hac particula est, docere, quę nam sint notiora nobis, & quę ignotiora, nobis autem notiora ipsa composita fore proponit, propterea quòd ex diuisione eorum, principia & elementa ex quibus constituta sunt, innotescant, quę quidem notiora sunt natura, ignotiora uerò nobis. quod in nobis facile experimur, quoniam primum totam domum intueamur, deinde uerò singulas illius partes. quę enim totum referunt, primum cognoscenda occurrunt, deinde uerò quę partium rationem habent, quamobrem confusa primum nobis sese offerunt cognoscenda: An autem confusa potius quàm composita legendum sit, dubitandi occasionem prębuerunt Arist. interpretes, qui enim ordinem tantum doctrinę propositum esse uolunt, confusa legendum petant, qui autem methodum demonstratiuam, pręter doctrinę ordinem composita, in quo mihi laborandum nequaquam est, cum particula confusum utriq. processui conuenire possit, quoniam in utroq. auspicatur Arist. quemadmodum suo loco docebimus, ab eo quod confusum est. siue hoc dixerimus esse magis uniuersale, siue ipsum compositum. quod singulare signatum, siue indiuiduum uocatur. confusum autem utrumq. uidetur, quoniam totum quoddam utrumq. sit. si tamen dictionem gręcam seruare uoluerimus, confusa potius ex aliquorum sententia legendum uidebitur quod. planè diuisio compositi in principia, atq. elementa indicare censetur, quod uniuersali conuenire nequaquam potest, cum ex singularibus minime compositum sit, etiam si ex multis colligatur. quare hoc loco per confusa cum aliis, aut uniuersalia, aut particularia intelligenda nequaquam sunt sed ipsa singularia, siue composita, auct. Theophrasto, qui hęc scribit, cum res omnes naturales absq. motu cognosci nequeant, de naturalibus dicentes, sensum prętermittere non possumus, sed ab eo incipientes. tentandum erit, naturalia contemplari, & eorum principia, ex quo etiam sequitur, methodum rebus omnibus naturalibus accommodatam Arist. hoc loco proponere, non autem ad principia tantum, ut multi perperam scripserunt, cum uim huius procemii nequaquam intelligerent, quod totius naturalis disciplinę procemium fore censemus. etiam si libris physicorum illud Arist. adiunxerit. Nec enim commodiore loco procemio com-

minui non poterat, cum hoc opus sit communissimum, si cęteris conferatur, a quo doctrinę ordine, qui naturam generantem immittatur, Naturalium rerum tractationem Arist. aggreditur.

PARTICVLA IIII.

Quapropter ex uniuersalibus ad singularia proficisci oportet. Totum enim secundum sensum notius est uniuersale autem totum quoddam est, multa enim comprehendit ut partes uniuersale.

PRopositum Arist. in hac particula est, methodo tradita, doctrinę ordinem colligere, quo in rerum naturalium contemplatione uti instituit, nec alium fore colligit, quam eum, qui ab uniuersalibus ad singularia progreditur, qui sane uidetur ordo cōpositiuus, qui auspicatur a simplicissimis tenditq. ad composita si ergo uerum est, in omni cognitione inchoandum esse ab his, quę sunt notiora, in doctrinę ordine a magis uniuersalibus, ad minus uniuersalia, procedendum erit; cuius sanè ordinis eam rationem proponit, quoniam uniuersale uideatur quoddam totum, quoniam multa comprehendat ut partes, quare apud intellectum notius erit, quemadmodum totum compositum secundum ipsum sensum notius existit, in ordine igitur doctrinę compositiuo, qui naturam generantem immittatur, ab uniuersalibus, quę apud intellectum notiora sunt, ad singularia proficiscendum erit, siue ad minus uniuersalia, quę quidem minus uidentur nota. Natura enim cum semper a, simplicissimis & primis rerum initiis auspicetur, Naturalem phylosophum. decet, scientiam naturalem a, primis & summis illius causis atq. principiis auspicari, quemadmodum aperte docuit Arist. initio lib. de partibus animalium. hac sententia, In omni contemplandi genere primum communia docenda sunt, deinde illa quę uniuscuiusq. propria esse, censentur, ut a, notioribus initium sumamus, nec non ut demonstrationis certa fundamenta habeamus, demum autem ut inutilem repetitionem euitemus, in ordine igitur doctrinę compositiuo, qui intellectu solo nititur, non autem sensu, ueluti methodus proposita, a, magis communibus ad minus communia progredi oportet, quoniam magis communia minus cōmunibus apud intellectum, qui est uniuersalium sint notiora, magisq. conspicua. ordo autem compositiuus a, methodo distinguitur, quod demonstrationis genus nequaquam sit, quia in eo artifex determinatiuę. ut ita dixerim, non autem demonstratiuè incedat, quod multi cum non intelligerent, de regressu disputationem huic loco addiderunt, quę ad logicos cum attineat, nihil nobis de ea disserendum erit. etiam si regressum in naturalibus dari profiteamur, secundum diuersa causarum genera. Quod autem

tem in primis hanc particulam perobscuram reddit, est particula uniuersalia quia plurimum inter se interpretes dissentiant, quid nam hoc loco per uniuersalia intelligendum ueniat. Vniuersalium autem cum duo primum sint genera, alterum eorum, quę incomplexa, quę res sunt alterum eorum, quę complexa, quę theoremata intentionesq. potius uidentur. Græci dubitant, quod nam genus huic loco conueniat. Nam Alexander theoremata siue dignitates quoniam Arist. principiorum tractationem ab eo axiomate auspicetur. Necesse est, aut unum esse principium aut plura. nec non ab altera, subiiciuntur autem nobis, aut omnia, aut quędam moueri, quę quidem propositiones quędam sunt notisime. quę principia complexa uocantur. Simplicius autem cum Them. per uniuersalia principia incomplexa, quæ sunt res, a quibus initio operis initium faciendum esse docuit, hæc autem nihil aliud sunt, quam prima materia, forma, & priuatio, cum cæteris, de quibus lib. physicorum disserit Arist. Nam propter ipsa principia rerum, non autem artis, uidetur methodus in primis proposita, non autem ob theoremata. nec non ordo in hac particula hanc etiam Auer. sententiam sequitur, qui uniuersalia in causando intelligi docet, quæ sunt causæ primæ, & communisimæ corporum omnium naturalium Vicomercatus autem in re hac perplexus, hæc uniuersalia ad communes quæstiones, quas de principijs Arist. execuit, trahit, inter quas ea est, quæ de principiorum numero & contrarietate proponitur. Phylopponus uerò, cum nonnullis ex latinorum schola singulare indefinitum, hoc est particulare intelligi profitentur, propterea quòd exempla, quibus Arist. nititur, uniuersali in multis minime conueniant, quod sanè nihil aliud uidetur, quam particularium congregatio singulare igitur uagum intelligendum est, quod ignoramus cui nam singularium competat. si omnes propositas sententias expenderimus, profectò nulla aptior ea est, quam Simplicis atq. Auer. proponunt, quoniam principia in prima particula proposita, sint rerum naturalium constitutiua, propter quę Methodus ipsa proponitur, nec non ordo in tota physiologia, seruandus, quare etiam si auspicetur tractationem illorum a propositionibus & quæstionibus communioribus, hæc tamen ad principia rerum referuntur, quibus etiam uti cogimur in docendo cum principij artis rerumq. ipsarum in Naturali disciplina, ut in re medica & Metaphysica semper coniungantur, non autem in mathematicis, quæ solum principia complexa habent. a, quibus auspicantur. Nam si admittatur Alex. & uicomercati sententia sequetur præfatione nimis communi Arist. uti, cum etiam ad mathematicas dialecticam conuenire posit, in quibus a, propositionibus quibusdam & quæstionibus communioribus Arist. semper initium facit. cuiuscunq. tractationis. ratio etiam addita in tex. eorum sententiam minime patitur. Demum quoniam dignitates ille cum sint notisime, minime sint confuse reijciatur itaq. huiusmodi opinio Phylopponi sententia ineptisima est, cum singulare uagum reipsa a singulari definito non distinguatur, quas

 solum

ſolum penes modum ſignificandi diſtinguantur, quare uniuerſale minime conuenit, quod hoc loco proponitur particulari, cum particulare uideatur medium eſſe, per quod fit tranſitus a genere ad indiuiduũ, primũ enim, animal eſt quam hoc animal, quare non a quouis uniuerſali auſpicandum fore ſtatuit Ariſt. ſed ab eo, quod maxime in naturalibus rebus uniuerſale exiſtit, quod tractatio ipſa ſatis oſtendit. Non igitur a Simplici interpretatione recedendum eſt, quæ uniuerſalia magis interpretatur, per ſingularia uerò minus uniuerſalia, quia a communiſsimis rerum naturalium principijs & cauſis Ariſt. phyſicam exordiatur, deinde uerò ad principia & cauſas proprias progreditur, quemadmodum conſpicuum erit, ſi libros phyſicorum lib. de ortu atq. interitu contulerimus, in quorum tractatione cum demonſtrando, incedat, iccirco Theoremata neceſſaria ſunt, nec non quæſtiones de rebus ipſis propoſitę cum enim intellectu hic ordo tantum mittatur, per uniuerſalia atq. ſingularia magis communia, atq. minus communia, non autem indiuidua intelligenda ſunt, quæ prima in methodo occurrunt, in qua a, ſenſu procedimus ad ipſum intellectum: Quæ quidem uera cum ſint, aſſerendum eſt, duos eſſe ab Ariſt. in hoc procemio proceſſus propoſitos, in quorum utroq. a notioribus nobis inchoandum eſt, quoniam in methodo a, notioribus nobis in ſenſu, in ordine uerò a, notioribus nobis in intellectu, ad ea quæ minus nota ſunt nobis progrediamur, quod etiam proportio atq. ſimilitudo, qua utitur, uerum eſſe ſatis indicat, cum illa non niſi duorum eſſe poſsit, proportio autem eſt, quoniam in utroq. proceſſu, id quod rationem totius atq. confuſi retinet, primum occurrat cognoſcendum, quod duobus exemplis in particula ſequenti docebit Ariſt. quorum alterum ipſi methodo eſt accommodatum, alterum uerò ordini doctrinæ. Eo enim tantum totum ab uniuerſo diſtinguitur, quòd uniuerſum de his quæ ſub eo continentur, dicatur totum uero de ſuis partibus nequaquam, quia nemo recte inanimato corpore oculum, aut manum totius nomine nuncupauerit, etiam ſi totum nihil aliud uideatur, quam ſuę partes. Duorum autem proceſſuum quibus Ariſt. utitur, primum Plato in Alcibiade mentionem habuit, quare non ſine ratione in exordio communiſsimo utriuſq. rationem habere oportuit. Ex hac præterea interpretatione facillimè tollitur contradictio, quæ apparet inter hunc locum, & initium lib. poſt analyt. in quo docet Ariſt. ſingularia nobis notiora eſſe, uniuerſalia uero minus. quoniam non eodẽ modo utatur diſtinctione hac notioris utrobiq. Ariſt. ſimpliciter enim atq. abſolute illa utitur in logicis, hoc uerò loco eam diſtinctis notitijs, quæ in nobis ſunt illam accommodat, in quarum altera, quæ progreditur a ſenſu ad intellectum, quam generis uocant indiuidua ſiue effectus rerum nobis ſunt notiores, cauſæ ignotiores, in altera uerò quæ in ſolo intellectu perſiſtit, magis uniuerſalia ſunt primum nota, minus uniuerſalia poſterius, cum in omni cognitione noſtra, confuſa notitia diſtinctam antecedat, in qua id quod totum & confuſum eſt, primum occurrit cognoſcẽdum, quemadmo-

admodum in disp. de primo cognito posterius disseremus.

PARTICVLA. V.

Sunt autem idem quodammodo & nomina ad rationem, totum enim quoddam indistincte significant ut puta circulus. Definitio autem ipsius diuidit in singularia. Et pueri primum appellant omnes uiros patres & fœminas matres. posterius autem determinant horum unumquodq.

PRopositum siue scopus Arist. in hac particula satis est apertus, quandoquidem duobus exemplis propositis doceat id quod confusum est, in utraque notitia nobis esse primo notum, atq. manifestum, in intellectiua autem id ostedit, exemplo nominis atq. definitionis, quoniam ipsum nomen magis nobis conspicuum sit quã uniuscuiusq. rei definitio, quoniam nomina totum quoddam atq. indistinctum siue confusum significant, definitio uerò id quod distinctum est, quemadmodum nomen circuli, quod circulus est indicat, si circuli definitioni conferatur, quoniã partes circuli declarat, ut cum dicimus circulum esse figuram planam, in qua lineæ omnes ductæ a centro ad circumferentiam, sunt æquales: nomina autem rebus imponere solum munus est intellectus, atq. illas definire, quare hoc exemplo uidetur Arist. aperte docere, id quod confusum est, rationemq. totius habet, in notitia intellectiua primo notum esse, quod uerò distinctum est posterius, iccirco accidit, ut in nominibus omnes conueniant, non autem in rerum ipsarum definitionibus. Alterum uerò exẽplum de pueris, quod Arist. subdit, indicat in altera notitia, quæ sensu utitur, etiam id quod confusum est, primo notum esse, propterea quòd confusam rerum notitiam in pueris distinctam ante ire experiamur. Nam pueri primum omnes uiros *patres*, omnes fœminas matres appellant, procedente uerò ætate minime, quoniam parentes, a cæteris hominibus distinguere norint. Si ergo id quod confusum est, in quauis notitia semper primum occurrit, in altera ipsum totũ erit notius, in altera uerò ipsum magis uniuersale, quod simile quodammodo toti uidetur, quia multa sub se comprehendat, de quibus dicatur, ut genus addita autem est ea particula quodammodo, quoniam non quemadmodum totum ipsum in partes diuiditur, ita & ipsum nomen est ab ipsa definitione diuisum, neque quo pacto singulare est uniuersalis pars, definitionis partes sunt nominis partes, quamobrem primum exemplum ordini magis conuenire uidetur, secundum autem ipsi methodo, propterea quòd uniuersum de suis partibus separatim dicatur, ut animal de homine, & equo, Nomen autem de toto quidem eo. quod definitione exprimitur, at non de partibus illius. Quibus hunc in modum explanatis, nihil relictum esse uideo, quod ad exactam

huius

huius prooemij intelligentiam facere possit. in quo Arist. tria docuit, quæ sit lib. phy. primaria intentio, quam rerum naturalium principia statuit, deinde methodum uniuerse tractationi necessaraim, demum autem ordinem quem compositiuum fore docuimus, qui quidem ad docendum est aptissimus

Cum autem principia communia hoc opere docere Arist. ostenderimus, minime hæsitandum est, illa cœlestium etiam corporum principia fore, etiam si uideatur Arist. particula. si primi lib. huius operis aliud insinuare, nec non in ultima particula in qua scribit De formis autem physicis generabilibus atque corruptibilibus posterius dicemus. Nam de forma cœli quatenus animatum est, cum ad Metaphy. potius differere attineat, iccirco ut eam a Naturali excluderet, solum caducas pertinere ad physico negocium, indicauit. siue simpliciter siue secundum quid mortales sint atq. materiales. De illa enim tantum naturalis cœli forma differit, ob quam corporis simplicis naturam retinet, quæ quidem nihil aliud est, quam forma neutra, nec grauis nec leuis. cum in lib. de cœlo de cœlesti corpore ut de Elementis agat, quatenus est corpus simplex parsq. ipsius uniuersi, quod est subiectum illius operis, ad quod omnia in eo tradita referuntur. Quare parum urget locus primum allatus, in quo scribit, dictum esse, quot sint principia rerum, quæ generantur & corrumpuntur, propterea quòd cum hæc principia contraria fore docuerit, maxime rerum generabilium corruptibiliumq. principia uideantur, quæ tamen cœlestis etiam corporis quatenus corpus est, quod loco mouetur, principia sunt eaq. quodammodo contraria. Nec aliter asserendum est, cum lib. a. de ortu atq. interitu, aperte doceat, communia omnium corporum naturalium, principia in lib. phy. tradita esse, in illis uerò ea tantum proponi, quæ solis caducis corporibus conueniunt, quorum materiam communem propriamq. statuit, quatuor elementa esse. Quamobrem nisi lib. de cœlo cum nonnullis a, naturali negocio sustulerimus, proculdubio lib. phy. de principio materiali formali efficiente motuq. communi omnibus corporibus naturalibus, differit Aristotelis.

Finis Explanationis prooemij phy. Arist.



ANTONII BERGAE IN ACADEMIA TAVRIN. DOCTORIS PHYLOSOPHI

RESPONSVM AD LOGICAM Augustini Bucij. Disput. de Phantasmate una cum Disput. de primo Cognito.

PROOEMIVM.



I eam scribendi rationem Buccius retinuisset, quā initio sue disputationis pollicebatur, maiorem fortasis laudem suis rebus adiungere potuisset, cum me denuo, etiam si annus intercesserit, ad disputationem de phantasmate reuocare, contendat. Porrò cum ob male fortasis compactam cerebri substantiam, quæ quidem memoriæ plurimum obesse solet, illam seruare nequaquam potuerit, uniuersam dissertationem. in cauillis, falsisq. imposturisq. insumere maluit, quàm ueris adhibitis rationibus, aduersum me nuper insurgere, quod sane uiri ingenui, atq. phylosophi officium erat. Quæ res per Deos immortales animum meum ualde commouit, cum id etiam minime præstiterit, quod se facturum iureiurando affirmauerat, cum mihi significaret, propediem de phantasmate disputationem, mei tantum honoris causa, æditurum. Quod utinam præstitisset, quoniam alacriore animo hanc prouinciam subirem, in qua si meam causam, necessarijs tantum adhibitis rationibus, agerem, me operæ pretium facturum putaui, ut uiri docti intelligant, quam parum & utcumq. Buccius in solida peripateticorum doctrina fuerit uersatus.

Itaque ut institutum ipsum aggrediar, uniuersum negocium ab eo capite Ego etiam auspicabor, in quo omnis nostræ controuersiæ radices continentur, in quibus recensendis, etiam si testes adhibuerit an candide se gesserit, alij iudicabunt. Deinde omnia connectam, quæ de re huiusmodi publicæ dissemi, nec non per epistolam ad Argenterium medicorum nostræ ætatis facile principem scripseram ne Buccianis subterfugijs locum aliquem superesse contingat. Mox quæcunq. in illius disputatione continentur, non solum expendere uerum etiam ad internitionem deducere conabor, ut unicuiq. conspicuũ euadat, eum liuore potius quodam tabifico, quàm ueritatis studio in me proterue nimis inuectum fuisse, etiam si hoc moliri non debuerat, cum eam suæ modestiæ opinionem conceperit, ut solus inter nos phylosophum referat, de quo sanè rationem aliquam habere uolui, ut in posterum resipiscat, neque falso imponat, me a, dissertationibus cum eo, die constituta recessisse cum totam horam in corona professorum omnium Academie Moderatoribus præsentibus, nec non cæteris in Academia primarijs professoribus me continuerim, qua Buccius ut omnes norunt, cum abuteretur, ob conuicia & technas propositas, nocte etiam imminente, cum cæteris abire coactus fui, ne causa tota ad rixas commutaretur. Cum ad meam conclusionem nullum etiam proponeret argumentum.

Caput primum in quo totius Disput. causa proponitur.



IAM igitur a, primo cap. disputationem ipsam suscipio. Nam cum initijs studiorum in publicis congressibus, Buccius contenderet, singulare primum ab intellectu nostro intelligi, huiusq. assertionis eam rationem adhiberet, quòd phantasmata, quæ *singularia* sunt atq. materialia cognoscat, a, quibus species *abstrahit* intelligibiles. Ego hunc in modum occurri, phantasma tantum *rei singularis*, atq. materialis representatiuum fore, non autem reuera huiusmodi esse. quod cum audiret, nihilq. amplius haberet, quod ad meam solutionem proponeret, ad clamores conuitiaq. ut indoctis temerarijs mos est, confugit, quamobrem ab ipso congressu recessimus. Nec ego ut de cæteris quæ agitata fuerant, de hac etiam quicquam cogitabam, cum in publicis congressibus incidisset, in quibus aliquando probabilibus niti cogimur, nisi studiosi adolescentes ad tres dies sequentes, me admonuissent Buccium duabus prælectionibus in me debachatum fuisse. Quamobrem schæda pro foribus proposita, illum humaniter admonui, ut resipisceret, hac Arist. sententia ex lib. 3. de anima particula 39. allata. Et intellectus cum speculetur, necessarium est phantasma aliquod speculari, phantasmata enim sicuti sensibilia sunt, præterquã quod sunt sine materia. quod cum perspiceret, ad materiæ conditiones confugit, ex quibus effici putabat, ut phantasmata tum materialia tum singularia forent,

forent, secundum eorum essentiam atq. reuera. Quare ego altero scripto pro posito, cuius Buccius nullam rationem habet, docebam materiæ conditiones tantum obstare, quominus uniuersale repræsentent, reuera tamen uniuersalia fore ipsa phantasmata in phantasia, quod ex proposita particula 39. aperte colligi demonstrabam in qua non solum phantasmatum, sed specierum etiam intelligibilium, quæ illis insunt facta sit mentio, quæ quidem sunt im materiales atq. uniuersales, quas Arist. in particula 40. quæ hanc seq. primas notiores uocat, quæ quidem etiam si proprie non sint phantasmata, absq. illis tamen non intelliguntur. Quare phantasma siue pro specie sensili in phantasia, uel pro prima notione sumatur, uniuersale atq. immateriale realiter existere. quoniam id quod actu & re ueri materiale atq. singulare est, solum extra animam esse habeat, non autem in anima. Nec aliud quod ad rem ipsam attineat, quisquam a me propositum inueniet, aut æditum, cuius assertionis rationes sequenti capite quibus antea nitebar adhibebo, ut a Buccianis calumnijs honorifice me expediam.

Caput secundum in quo ostenditur phantasma realiter nec singulare nec materiale esse cum absq. materia sensili & quanta in phantasia contineatur.



CVM autem duo essent huius disputationis capita alterum an re uera materiale existeret, alterum uerò an singulare, ipsum phantasma pro specie sensili in phantasia, in primis materiale nequaquam fore demonstrabam, ex particula 39. lib. 3. de anima priore cap. allata deinde ex contex. 122. lib. 2. quo loco Arist. aperte docet, sensum susceptiuum esse specierum sine materia, quoniam immaginem siue simulacrum tantum sensus ipsi referant, rerum singularium extra animam, quemadmodnm cera immaginem quæ in sigillo præerat, ueluti in propria materia Nam ut cera absque auro simbolum excipit, excipit autem sigillum & immaginem auream, non tamen quatenus auream, ita oculos colorem, & aures sonum, similiter gustus & olfactus sua sensilia, quamuis hoc in gustu & odoratu incertius esse uideatur, tradit sua paraphrasi Them. Ex quibus in particula quæ seq. colligit, sensum pati, at alia passione ab ea quæ in animis & carentibus sensu corporibus propria est, patiuntur quidem sensus sed ita ut forma rei percieat, impellataq. instrumentum, materia forniscecus sedeat, at corpora quæ franguntur, ceduntur, cremantur, non nisi ingressu materiæ, & accessu patiuntur. quod sensibus in sensatione nequaquam accidit, quoniam non possunt sensilium materiæ effici quod in contex. 138. ex professo docet Arist. quoniã si cum materia sensus suscipere, in absentia sensiliũ minime sentiret, quẽ tamẽ sentire experimur. quia species

species ipsæ retineantur. non igitur albet, aut nigrat, aut opacatur uisus, neq. exacuitur, aut ingrauescit auditus, sed quod diximus sæpe & dicemus species rerum & ratio concipitur, quo fit ut passio hæc non in mutationem, sed in cognitionem & iudicium desinat. nulla enim materia deforma sibi accidente. herenteq. iudicium ferre potest, quia materia suopte ingenio insipiens, bruta, irrationabilisq. est, ratio uerò tum de alijs indicat, tum ratione & forma rationem & formam aprehendit, sensus autem species & ratio ea est, quæ sedem in primo sentiendi instrumento habet, nam sensus nihil aliud est, quàm facultas & forma primi sensorij, quamuisq. sensus & primum sensorium subiecto non distant, quemadmodum nulla forma subiecto distat ab eo, in quod ipsa recipitur, tamen diuersa sensorio & sui essentia est, nam sensorium magnitudo est atq. corpus, sensus uerò forma & ratio corporis, quæ ex Them. addere uolui, quoniam ex hoc totius controuersiæ dissolutio atq. ueritas ipsa dependeat, quemadmodum in progressu. aperte ostendam cum nihil respondendo propositurus sim, quod ex germana & solida græcorum atq. Auerroydis doctrina non sit desumptum, ut Buccio nullum subterfugium relinquam. quibus sanè locis Arist. rationes adhibuimus, quarum prima hæc erat, si enim reuera phantasma materiale foret, perinde esset de receptione imaginum in phantasia, ac est de receptione illarum in speculo, in quo accidentia, quæ materiam concomitantur apparent, quòd tamen non solum phantasiæ sed nec uisui contingere, experimur, in susceptione colorum, propterea quòd sublata materia sensili, accidentia etiam sensilia recedere sit necessarium, iccirco humor cristaloides & pupilla, in quibus colores recipiuntur. nullum præterquà proprium colorem referunt, si ergo id accidat uisui, quo quidem magis incorporea & spiritalis facultas est phantasia, proculdubio censendum est, phantasma in phantasia, quæ rationem luminis habet, si alijs sensilibus conferatur. in materiale existere. Secunda ratio erat, side quominus uidetur inesse, & inest igitur & de quo magis inerit, at in medio species rerum sensilium materiam sensilem non retinent, quia aer coloribus rerum non afficiatur, nec aqua, igitur multo magis sensus ipsi absq. materia sensili illas suscipiunt. Tertio ratio erat, fieri non posset, ut momento temporis species opposite in sensu reciperentur, si materiam sensilem retinerent, quoniam contrariæ qualitates simul & semel in eodem subiecto consistere nequeat, quæ sint materiales, cum sola cœli materia contrarietate careat. in sensibus autem experimur, mille formas etiam contrarias unico momento suscipi, quod in uisione maxime probamus, igitur absq. materia sensus specierum erit susceptiuus. Quarta ratio erat mirum uideri, quomodo nam species montis uastissimorumq. corporum puppillam oculi ingrediatur, cum materia sensilis absq. quantitate nequaquam sit, experimur tamen de uastissimis etiam corporibus uisum iudicare, itaq. signum est, quod eorum species suscipiat absq. materia. Quinta ratio erat, si cũ materia species recipiantur, fieri ut cum dolore oculus

cæteri

cæteriq. sensus species rerum susciperent, quoniam cum qualitates corporeæ essent, continuum soluerent, ad cuius solutionem dolor sequitur. experimur autem colores aliaq. Visibilia, absq. dolore nos intueri, igitur absq. materia species in sensibus suscipiuntur. Sexta ratio erat, sequeretur quòd sensili posito supra sensum sensatio ipsa fieret, quoniam medio opus nequaquam foret, illã tamen non fieri experimur, ut si corpus coloratũ oculum immediate contangat, igit relinquitur species solas recipi, atq. eas per medium deferri. Septima ratio erat, constituto quòd materiam retineant, sensilem & quantam sequeretur, penetratio corporum, quia in corpore species recipitur non in anima atq. facultate uisiua, sed in oculo ipso animato. quam tamen peripatetici omnes timuerunt. seq. igitur quod siue materia sensus omnes sit specierum susceptiuus, præterea sequeretur quod animam denominarent atq. esse reale non distingui ab esse in anima quod falsum est ex Arist. sen. 3. lib.

Nec minus phantasma singulare, nequaquam fore, ostendebam, in primis autem hac ratione, quæ nititur Arist. auct. lib. 2. de anima particula 60. in qua scribit, quæ sunt extra animam singularia fore, quæ uerò in anima uniuersalia, cum ergo phantasmata sint species rerum sensilium in anima, erunt proculdubio uniuersalia, non autem singularia, quod etiam Auerroydes in com. sentit. cum inquit Quod uero ambo mouent, sunt intentiones immaginabiles, quæ quidem potentia sunt uniuersales non actu, quo quidem modo Ego statuo uniuersale phantasma esse demonstrare. Nec mirum cum Arist. lib. 2. post. analyti. doceat, sensum esse uniuersalis, quoniam sensus sit coloris, nam autem huius coloris, cum enim duo ad sensum concurrant, id quod sentitur, nec non ipsum sentire, hoc est uniuersalis, illud uero singularis, ipsius uero sentire ratio & causa cum sit species, erit proculdubio uniuersalis, Videtur præterea idem colligi ex Arist. lib. 2. de anima particula 146. ex Simplicij & græcorum omnium interpretatione, quo loco tradit sensum communem incorporeum esse, atq. non in tempore agere, quare phantasia, quæ uirtus superior est, etiam incorporea erit. quod si uerum sit, modo uniuersali species suscipit, non autem secundum quod actu singulares. cum hoc tantum spectet ad uirtutes ipsas corporeas. præterea id etiam ex Arist. colligitur, cum doceat phantasiam, quæ rationalis est in homine, unum ex pluribus facere, atq. uniuersale comprehendere, quod minime præstaret, nisi uniuersaliter quodammodo species susciperet. nec etiam formas non sensiles eliceret, ut amicitiam, inimicitiam, bonum, & malum. quorum nullus est sensus, nec communis nec proprius. iccirco experimur. phantasiam non solum sensiles species cognoscere, uerum etiam non sensiles, propterea quòd nocua fugiat, delectabilia uerò prosequatur, quod multorum animalium exemplo constat. præterea Arist. circa finem lib. 2. de anima particula 153. phantasiam a sensu atq. intellectu distinguit. quam non distingueret, nisi quodammodo uniuersalium esset. mediũ enim inter sensum atq. intellectum locum obtinet, ita ut nec

id quod

id quod omnino singulare est, nec omnino uniuersale phantasia retineat atq. comprehendat. Quod uerum esse hac itidem ratione ostendebam, quoniam in phantasia species nihil aliud sint, quàm mere notiones, quas Latini conceptus formales nuncupare solent, qui quidem sunt uniuersales. potentia, propinqua non autem actu. cui postrema addebatur ratio. contingere, ut nullo modo phantasia deciperetur, si propriorum esset atq. singularium, non autem communium, ueluti sensum, qui circa sua obiecta perse nunquam decipitur, eam uerò decipi docet Arist. lib. 2. de anima tex. 159. atq. in multis experimur, præsertim in Buccio, qui in hac disputatione perperam immaginat.

Caput tertium in quo rationes a Buccio in oppositum allate expenduntur atq. penitus conuelluntur.

NVLLO pacto esse uniuersale phantasma, Buccius tertio cap. suæ disputationis sophisticis quibusdam argumentis, propositis ostendere, conatur. quas antequam proponas contex. 39. libr. 3. de anima interpretatur. in quo Aristoteles hæc scribit. *(Quoniam autem neq. res ulla est præter magnitudines ut uidetur, sensibilia separata, in formis sensibilibus ipsa itelligibilia) sunt. Queq. in abstractione dicuntur & quæcumq. ex sensilibus habitus & affectiones. Et iccirco neq. non sentiens quicquam disceret aut intelligeret. Cumq. contempletur necesse simul cum phantasmate contemplari. phantasmata namque tanquam sensibilia sunt, præterquam sine materia. Est autem immaginatio diuersum, a dictione & negatione contemplatio namq. est intellectiuum quod uerũ aut falsum. primę uero notiones quo different ab eo ut haud phantasmata sint aut neq. alię, phantasmata, sed non sine phantasmatibus.* Hæc enim ex Auerroydis lectione sunt quæ in particula 39. tradit Arist. in qua Buccium hallucinatum fuisse aperte demonstrabo. Nam cum auct. Simplicio, qui inter cęteros mentem Arist. assequutus est, institutum sit docere, in quibus nam intellectus imaginatione cooperante, & coadiutrice utatur, minime uerum est, quod cum Latinis a Buccio proponitur, nimirum? Arist. docere animam cum sit quodammodo omnia, quæcumq. per se sine phantasmatibus nõ intelligere, ob Platone qui ideas introduxit, ac si omnia per ideas cognoscat, propterea quòd nulla de ideis toto libro 3. mentio habeatur, necnon de ipsa reminiscentia aduersus Platonem atq. etiã quod falsum sit, quod Arist. imponit auct. simplicio & Philopp. cum omne formarũ genus minime intelligat anima cum phantasia, sed eas tantum, quæ quodammodo ab ipsa materia dependent, cuius generis sunt naturales formæ atq. mathematicæ, nec non formę intelligibiles, quæ speciebus sensilibus insunt, quas quidem circa finem, nihil

hil aliud esse docet, quàm primas nationes ipsius intellectus, quæ etiam si proprie phantasmata non sint, non tamen ab intellectu progresso absq. phantasia intelliguntur, ita, ut duo tantũ formarum genera non sine phantasia intelligat, non autẽ quodcumq. cum separatas omnino formas absq. phantasia intellectus ipse intelligat, atq. per essentiam, nimirũ ergo si ob primas notiones, dub. Arist. quia occasionem dubitandi prębuit cũ initio. formas intelligibiles sensibilibus in esse, dixerit de quarũ sanè intellectione nihil Arist. definierat, ad finẽ igitur tex. si Buccius se contulisset, perperam contex. 39. interpretatus minime fuisset. nã primæ notiones Phylop. doctissimoq. Nogarola auctore, penitus sunt in materiales, cum nec materiã, nec illius conditiones retineant, phantasmata uerò nõ nihil materiæ retinent, ob materiæ conditiones; quare phantasma propriæ ex Them. nihil aliud est, quam forma quędã rei extrinsecus oblatæ, & externi sensus uestigium. Notio autem est mentis actio in uisum, quo de ei subiectum est, quæ tamen cõiter ex Arist. & Plat. sententia phantasma nuncupatur, quare audacter nimis me Buccius reprehendit, quod cõiter speciem intelligibilem, quæ est in sensibilibus speciebus in phantasia pro phantasmatæ acceperim, eamque uniuersalem constituerim. Verissimum igitur erit, phantasma esse uniuersale, quia pro specie sensili hoc est phantasmate propriæ dicto sit potentia uniuersale, pro phantasmate communiter hoc est pro prima notione sit actu uniuersale.

Quibus hunc in modum pro ueritate constitutis, pergamus ad corrolariũ in quo me accusat, corrolariũ aũt erat, species intellectiles nõ in rebus sed in sensibilibus formis intelligi, in quo sanè dupliciter me accusare nititur, in primis quòd improprietate quadam loquendi utar, deinde autem quòd nullum sit consequẽs. Quod ad primam attinet, etiam dignus esset Arist. reprehensione, quoniam cum scribit in sensibilibus formis intelligibiles intelligi, perinde est ac si dicat, non sine illis intelligi, quemadmodum ex hoc contex. aperte colligitur. cum autem nefas sit Arist. in hoc redarguere ualeat. Buccius cum hac techna, quoniam cum illis insint, iccirco accidit, ut non sine illis intelligantur, nec non ut ad corruptionem illarum auct. Auer. corrumpantur. ex quo consequitur, intellectum intelligibilia, non sine speciebus sensibilibus intelligere, etiam si abstrahat, quoniam necessarium sit ut ab illis moueatur, occasionemq. intelligẽdi assumat. Nec Buccio quicquam prodest, quod subijcit, species proprie nequaquam intelligi, sed potius obiecta, propterea quòd Arist. apertè lib. 3. de anima particula 38. rem aliter se habere doceat, quo loco docet intellectũ, qui actu intelligit, nihil aliud fore, quàm ipsam met formam, quoniã anima sit actu species, non autem obiecta, quia lapis non est in anima, sed lapidis species, cũ ait. Necesse autem est aut ipsa esse, aut species, ipsa quidem enim non sunt, nõ enim lapis in anima est, sed species, quare anima sicuti manus est, manus enim est organum organorum, & intellectus forma formarũ, si ergo obiecta illa sunt, quæ propriæ intelliguntur, ut perperam Buccius scribit, erit sanè anima illius actu lapis, atq; redibit Antiq. opinio, qui animam ex elementis constituebant, quo-

e niam

niam omnia cognosceret. in quo Alex. illum damnat in cap. de intellectu secundum actum, ubi discrimen sensus atq. intellectus, tradit, circa perceptionē specierum. Nam etiam si utraq. uirtus species sine materia suscipiat, scribit Alex. sensus cum non fit idem cum rei sensili, specie, intellectus autem fit, quomodo igitur poterit intellectus species fieri, nisi proprie illas intelligat. præterea id aperte Arist. lib. 3. de anima particula 10. repugnat quo loco docet, intellectum non carnē, sed carnis essentiā cognoscere, quod si carnem cognoscit, id facit se ipsum cōuertendo ad phantasma quod est in sensu, postremo inepte intelligibiles species uocarētur nisi intelligerētur proprie. Ad multa enim hoc loco Buccium incōmoda atq. absurda deducerem, pro quibus hoc unum sufficere arbitror, sequeretur res materiales intellectū minime intelligere, quoniā res materialis intelligi nequeat, nisi esse immateriale in intellectu habeat, hoc autē habet a, specie, quę est in ipso intellectu, quæ est ratio & causa intelligendi unumquodq. quod materiale existit. Alterum præterea in quo me accusat, leuissimū est, eumq. logicum potiusquam phylosophum indicat, cum de nominibus cōtendere audeat. Noui enim quemadmodum antea ex Philop. Nogaroleq. sentētia docui, species intellectiles, quæ phantasmalibus insunt, non nisi cōiter phātasmata nuncupari, propterea quòd non sine phantasmalibus intelligantur. Ad finem secundi argumenti Buccius inquit non uideo quomodo insint sensilibus formis, cum sint in anima, quod cur proponat ignoro, cum in sensilibus formis aliter insint quàm in anima, ex Auer. sententia lib. 3. de anima: com. 30. propterea quòd in sensilibus formis obiectiuè insint, in anima uero subiectiuè, secundum esse cognitum, non autē materiale aut formale, quod Græci etiā sentiunt, quemadmodum tradit Them. intellectum lapidē habere in esse abstractionis, quia non sit in eo per inhærentiam, & informationē. quamobrem recte Arist. locum formatum, non autem subiectum materialem intellectum nuncupauit quemadmodum sensum. subiectum sensibilium specierum. cum uerò subdit, nō uideri quomodo nam phātasmata omnino abstracta sint in sensilibus *formis* cū nihil sit sensibile absq. materiā, etiā si hoc argumeneum ineptum ualde sit. Respondeo tamen illud concludere de forma reali, nō autē de intentionali. quare non est simpliciter uerum, quicquid est sensibile per materiā, esse sensibile, quia tantum ueritatem habeat, de eo quod realiter sensibile non autē intentionaliter. possum etiā aliter hoc argumentum diluere, ratione formæ sensiles esse, nō autem ratione materiæ, quoniam forma cum causa sit, ut unumquodq. hoc aliquid dicatur, uidentur sensibiles quodammodo nūcupari debere, quod quidem Buccius si didicisset, ut debuerat, cum profiteatur se exacte lib 3. de anima percurrisse, ad cuius intelligentiam Sex. inuulgauit logicas quęstiones, ad suū esse fundamentale non confugisset, quod illum omne fundamento carere, aperte ostendit. impudenter. igitur scribit, meam reiectam fore de phantasmate distinctionem, a, sensilibus speciebus, quæ materiales sunt. Ad aliud transeamus, in quo nimis anxie mecum agit, inquit autem sumamus formas sensiles, quæ

sunt

ſunt in materia ſenſili, faciamus earum repreſentatiua phantaſmata, a materia ſenſili ſeparata, hæc ſanè ab illis diſtincta erunt, Quid hoc loco agat hic ſophiſta ridiculus, aperte oſtendam. Noui enim hæc inter ſe diſtingui, quoniam ſenſiles formæ in rebus eſſe materiale & corporeum habeant, ſintque materiales, phantaſmata uerò a materia ſeparata habeant tantum eſſe ſpiritale ſiue inuentionale cum nihil aliud ſint ex Latin. ſententia, quàm conceptus formales ipſarum rerum, in quo ſimul & ſemel nec me laudare nec uituperare Buccius debebat, cum nihil eorum, quæ antea ſenſeram, immutaturus ſim, etiam ſi diſcrimen capitis immineret. Recte igitur aſſerui, duo reperiri in phantaſia, ſpecies inquam ſenſiles, atque intellectiles, atque has uniuerſales actu atque omnino immateriales, illas uerò potentia uniuerſales. non omnino tamen immateriales, ob materiæ conditiones, quas adhuc retinent. Cum uerò a me quærit, an hæc ſpecies in phantaſmate idem ſit quòd ſpecies ipſa intelligibilis, reſpondeo ſpeciem intelligibilem fore pro prima notione, aut uirtualiter cum Latinis, nec hoc pacto ſpeciei ſpeciem eſſe abſurdum eſt, quoniam ſit intentionalis non autem realis. Nec minus corruit quod poſtremo loco a me quærit, an ſpecies hæc phantaſmati inſit actu an potentia, quoniam illam actu ineſſe ſentio, obiectiuè tamen non autem ſubiectiue, ex Auerſen. lib. 3. de anima in Auempacem, qui intentiones imaginatas ſubiectiue recipere ſpecies intelligibiles docebat. Cum uero obijcit, igitur abſtractione nequaquam opus erit, dico illa adhuc opus eſſe, non ut ſpecies aliqua ſeparetur, ſed ut ſpecies, quæ potentia erat intellectilis actu intellectilis reddatur ab intellectu agente, quem lumini Ariſtot. comparat, ita ut nihil imprimat phantaſmatibus, ueluti lumen coloribus, quod eos tantum reddit actu uiſibiles, quare ego cum illis ſentio, qui hanc ſpecierum abſtractionem a phantaſmatibus negant, quoniam intellectum cum etiam habitui ſimilem ſtatuerit Ariſtote. occaſione ſumpta a phantaſmatibus ſolum conceptum ſimilem effingit, immaterialem atque uniuerſalem illi correſpondentem, ueluti pictor, qui uidens Cæſaris imaginem nihil recipit ab ea, ſed tantum mouetur, & per cauſas, & rationes imaginum, quas in mente habet, format imaginem ſimilem ei, quæ eſt extra animam, quo ſanè modo etiam intellectus quidditates rerum effingit, omnino immateriales & uniuerſales, quæ intelligibilia materialia referunt, Picus Miran. Marcus Anto. Genua præceptor meus. Simpl. & alij celebres philoſophi hanc ſententiam ueriorem ſanè putant, quoniam ſi daretur ea ſpecierum ſeparatio, quàm Buccius cum Barbaro Latinis fingit, multa ſequerentur incommoda, inter cætera accidentia propria migrare de ſubiecto in ſubiectum, quod nullus peripateticorum concedit. Nec præterea ueritatem habet id, quod in alteram partem obijcit, cum phantaſma in phantaſia per accidens ſit ſingulare, quoniam ſeruatur in uirtute particulari, & ob materiæ conditiones, quas adhuc habet, quoniam per ſe ſingularia tantum ſint, ea, quæ extra animam exiſtunt ex Ariſt. ſententia.

Omnibus

Quibus pro ueritate dissolutis, pergamus ad alia, quæ proposuit, quorum primum deducit ex distinctione phantasmatis in essendo, aut in representando, in quo dupliciter insurgit, primum quoniam nulla sit in disputatione facta mentio de essentia phantasmatis, quod falsum omnino est, quoniam etiam si non expresia uidetur facta mentio, colligitur tamen aperte ex altro membro a me proposito, quoniam si phantasma in representando non sit uniuersale, inmaterialeq; igitur erit uniuersale in essendo, quare representatio cum sit accidens phantasmatis quodam, a sua essentia distinguitur, quod Buccius cum non intelligeret, iterum quærit quid nam per essentiam phantasmatis intelligam, nihil sanè aliud quàm illius substantiam & proprietatem, quam statuo uniuersalem, propterea quòd sit omnino destituta materia sensili & quanta, quæ indiuidua est. & corporea, at ut antea monui cum Auer. colligo esse potentia in phantasia uniuersale. ipsum phantasma, non autem actu. Quod ne uideatur præter rationem dictum. Scotus Tomas. Auer. cæterique ex lat. Schola interpretes in disputatione de uniuersali an detur extra animam, tria genera uniuersalis inuexerunt, primum quod potentia remota uniuersale est, quod quidem nihil aliud est, quàm singulare, & tale extra animam reperitur. secundum uniuersalis genus illud est, quod potentia propinqua uniuersale nuncupatur, quod quidem nihil aliud est, quàm primus conceptus formatus ab intellectu de obiecto, taleque esse habet in anima tantum, ueluti tertium genus uniuersalis, quod est actu uniuersale. hoc autem nihil aliud est, quàm rei quidditas, quæ est uerum atque adæquatum ipsius intellectus obiectum, atque hæc duo genera uniuersalis dicuntur a, Latinis uniuersale pro intentione, primum autem uniuersale pro re. quare phantasma, etiam, si singularis sit representatiuum, non tamen efficitur, ut per se actuque sit singulare, ut deducit Buccius, sed per accideus, quamobrem ad phantasmatis distinctionem in essendo, atque in representando minime confugi, nec palynodiam cecini, cum Tomas libro primo metaph. Suess. lib. 3. de anima. commen. 18. primi illam inuexerint, ita ut optimus genius illam mihi dictauerit quod utinam Buccius de suo delirio atque in somnio asserere posset, quia actu singulare tantum esse habeat, extra animam non autem in anima.

Secundum p æterea illius argumentum, dignum est Chrisaorio Porphyriano, in quo representationem essentiam phantasmatis statuit, quoniam uis potius quædam illius sit, atque accidens quàm essentia, ex quo efficitur, etiam si essentia sit uniuersalis, ut uis eius sit adhuc singularis, qua ratione distinguitur a specie intellectili, quæ actu est uniuersalis, & illius representatina.

Tertium præterea argumentum in quo constituit representationem essentiam phātasmatis fore, ridiculum est, cum minime sequatur, representatio singularis est. igitur essentia, propterea quòd essentia ipsa ad aliud nequaquam feratur. quod sane dubiū hac ratione diluo, contingere ut per accidens sit essentia

sentia singularis, nō autem secūdum se, ueluti accidit sensui, qui etiam si sit uniuersalis, refertur tamen ad singulare. Cum autem sciscitatur, an pro formali, an pro materiali phantasma sumpserim, Respondeo pro formali intentionali, non aūt reali, cum mera notio sit, non autē res. in anima nisi prædicamentaliter hanc ob causam accidens esse, & qualitatem, non realem sed intentionalē, quæ nec materiā nec formā habet, ex quibus componatur, sed mera tantū est notio. quare mihi somniare uidetur, cū ex spiritu animali & phantasmate realē quandā qualitatem generet atq. introducat, cū nullū ex peripeteticis in hoc in somnio testem adhibere ualeat, est ergo qualitas intētionalis, quia in anima habeat tantū esse cognitū, non autem reale. Postremo autem loco cū Buccius arguit, si phantasma est uniuersale, aut erit in multis, aut ante multa, aut post multa. Respondeo esse uniuersale post multa, pro prima intentione, nō autem secunda, & tale subiectiue est in intellectu, siue in anima quia separatum est a, singularibus, quæ sunt extra animam. iccirco accidens est, non autem substantia, quia causam habeat intellectū. nec ob id erit, genus logicū, quod prædicatur, propterea quod ex Simplicij sententia contex. 60. 2. de anima uniuersalia in anima secundū prædicationem nequaquam sint, sed tantū secundū considerationē, quod ēt sentit. Hammonius cum Phylop. quoniā intellectus solū moueatur ab uniuersalibus quæ sunt in anima, quę distincta sunt ab uniuersalibus in prædicando quoniā sint prima uniuersalia quæ quidem causæ sunt particularium & nihil aliud sunt quā formę ipsæ intelligibiles. quæ Arist. lib. 6. Meta. v uniuersalia appellat sicuti primā philosophiā quoniā sint prima scibillia. Secūdum prędicationem. n. sunt in singularibus, quia ēt si secundū subsistentiā ab illis non separentur, separantur tamen secundum ipsam essentiā, in anima igitur tantū esse cognitum habent, quia intellectū non denominant. ex quibus ruit id quod colligit Buccius, est uniuersale post multa igitur est genus logicū. Cum uero subdit uniuersale quod est in multis potentia est in rebus, actu uero in intellectu. hoc negamus probādū igiť erat a Buccio in quo indicat nulla memoria pollere. quoniā in priori ꝓpositione docuerit nō habere esse ī anima uniuersale in multis, modo uerò statuat actu uniuersale in multis in intellectu esse habere, cū potentia rebus insit. quod tamen absurdū ualde est, cū uniuersale pro re cuius generis est uniuersale in multis, nullo modo sit in anima. quia esse reale nō distingueret ab esse in anima quod repugnat Arist. lib. 6. Meta. omnibusq. peripateticis. materia. n. prima cū sit uniuersale in multis ī rebus esse habet, nō aūt in anima, quia si actu hmōi uniuersale in intellectu esset, hoc sequeretur incommodū, materiā primā in recto atq. in quid de materiato prædicari, quod falsum est, cū hoc a genere materia distinguatur ex Auer. sen. Metaphy. 8. com. 6. quoniā materia rōnem formæ induere nequeat, cū alia rōne sit pluribus cōmunicabilis, præterea non recte cōcludit, cū ego phantasma in phātasia sumā, non autem in intellectu. in quo tantum actu uniuersale actu esse suum habet, quæ uero extra intellectum potentia sunt uniuersalia. quia sunt in uirtutibus

particula-

particularibus non autē in uniuersali, qualis intellectus proculdubio censetur. altera præterea propositio quā subiungit, at quod secūdum essentiā tale est id actu tale existit, nulla est, propterea quod id solū ueritatē habeat de eo, quod ratione formę secundum essentiam tale est, non autem de eo quod formæ priuatione dicitur secundum essentiā tale. nā prima materia cum priuatione formarū sit ens, iccirco nō est actu ens, per se subsistens, similiter possibilis intellectus etiam si secundum essentiam intellectus sit & substantia quædam, non tamen est actu intellectus sed potentia intellectus.

Caput quartum in quo Buccij solutiones conteruntur.



PErgamus ad ultimū caput Buccianæ disputationis, in quo sex tantum ex meis rationibus, cæteris post habitis, dissoluere contēdit, quod certissimum est illius somnolentiæ argumentū. Antequàm uerò aliquam rationem dissoluat, quod ille in tota tractatione cōmittit, mihi imponit, quod principiū petere uidear, in quo tamen me accusare non deberet, cū Arist. hoc argumentandi genere utatur, cū ad absurda manifesta, aut ad impossibile deducit. quo genere utitur in cap. de phantasia, in particula. 159. lib. 2. de anima, quo loco nititur probare, phantasiā nec ex sensu nec ex opinione constare, quoniā alterū horū impossibiliū sequetur opinionem uerā, falsam reddi, absq. aliqua mutatione, atq. alteratione rei, quam opinatur, aut eius qui opinatur, aut sequeretur unā atq. eandem opinionē, eodem temporis momento, uerā falsamq. esse, quod est impossibile, quo etiam argumentandi genere mihi cum Argenterio uiro perspicacissimo utendum fuit. Ad primā igitur, in qua asserebā, si phātasma uere materiale atq. singulare fuerit, consequi, ut a re ipsa sensili, quæ quidem extra animā est nequaquā distinguatur, duas proponit solutiones, alterā distingui rōne materiæ, quā iam ex propositis in superiore capite sustulimus, alteram uero ex natura utriusq. desumptā. quæ quidem nostram corroborat sententiā, cum profiteatur singulare phātasma esse, propterea quod imago sit rei singularis repræsentatiua, non autem per materiā sensilem. quemadmodum est ipsa res sensilis extra animam. Ad secundam præterea descendit, in qua ad hoc incommodum deducebatur, contingere, ut sensili supra sensum posito, sensatio fiat, quod aperte lib. 2. de anima Arist. negat, cui quidem ut occurrat, unum præmittit, in quo in foribus peripateticis peccat. quoniā Aristotelicum dogma uniuersale proculdubio sit, cum nullus sensus particularis quamuis corporeus & materialis, absq. medio & speciem suā exerceat actionem, et si in tactu id minus quàm in cæteris conspicuū uideatur, cū a qualitate corporea medium illius primum immutetur, quod carnem constituimus, non autem ab incorporea ueluti medium uisus quod est aer & aqua quatenus perspicua sunt corpora. Cuius sanè rei causam Auer. lib. de

sensu

ensu & sensilibus tradidit, cum enim nullum sensum a sensili super sensum posito pati contingat, propterea quod natura non procedat ab uno dissimili ad alterum absq. medio, quemadmodum accidit in motu locali ex Arist. sententia lib. 5. phy. esse uerò reale ualde opponatur esse in anima, ex Arist. sen. lib. 6. Metaph. quoniam esse extra animam, quod reale est, non sit principium immediatū cognitionis, sed esse intentionale in anima, iccirco a, quocunq. obiecto speciem aut incorpoream aut corpoream produci oportet. quæ quidem primum in medio, aut externo aut interno recipiatur, ut ab ea immutetur, quo ualeat sensum ipsum immutare, quod nisi contingeret, ignis ea quæ immediate nequaquam contangit, minime calefaceret, nec tristis sensatio ad primum sensorium descẽderet, nisi species aliqua a qualitate tangibili produceretur. Nisi medium in tactu adesset, non posset passio ad primum sensorium deferri, nec fieri iudicium aliquod ab eo, si immediate a proprio sensili pateretur. hoc autem est animatum in tactu atq. internum, quemadmodum pulchre docet Simpl. in interpretatione contex. 115. lib. 2. de anima. nam in particula quæ sequitur aperte Arist. docet in nullo sensu absque medio sensationem fieri hac sententia. ipso autem sensorio tacto neque illhic hoc est in uisu auditu atq. oderatu neq. hic hoc est in tactu & gustu fieret certe sensus, ueluti siquis corpus album in oculi poneret extremum. Nam medij naturam qualis sit in tactu docuit contex. 111. Cum enim ex Them. sententia ipsum tangere sit sentire ipsum in sensibus, icciro medium requiritur, quod Buccius cum ignoraret, putauit tactum eundem esse cum tactu inanimatorum corporum quare sensus particulares non ea re distant, quod medio alteri utamur alteri non, sed quod medium alio genere illis & tactui obseruiat. Videtur enim caro eo modo ad tactum & gustum se habere, quo aqua & aer ad uisum & auditum. quamobrem a quocunque obiecto speciem aliquam produci necessarium est, illamque in medio recipi, ut sensiterium ipsum immutetur, non igitur uerum est, pati tactum a, qualitatibus tangibilibus immediate ut Buccius scribit, qui in hoc sensum, rationemq. omittit, ad quæ omnia phylosophi reducunt, quod tamen prestare illum pudere deberet cum Torpedo quę manum piscatoris ob stupefacit illum conuincat. Nec illi ad Alexandrum confugiendum erat, quem Them. reprehendit cap. 39. lib. 2. de anima. & rectè cum aperte Arist. dogmata subuertat, qui omnem sensum lib. 2. de anima tex. 115. per medium pati docet, quod etiam Alex. circa finem cap. de tactu fateri cogitur. cum ait. Igitur tactilium rerum susceptio intermedio corpore indiget. at intactu medium cum sensu simul pati, quemadmodum clipeum qui percutit militem percutit. ita ut caro & tactus simul patiantur atque immutentur in alijs sensibus minime, at medium prius. At Buccius cum hæc nondum didiscerit, existimauit, similem esse contactum tangibilis & tactus contactui qui accidit inanimatis corporibus, quum eorum extrema sunt simul. cum tamen alia ratio sit utriusque contactus, cum in animatis etiam ad cognitionem

tendat,

cendat, in inanimatis autem ad alterationem solam. Medio iccirco opus habet sensus tactus, auct. Arist. text. 114. lib. 2. de anima. Cum eam dubitationem determinat, an tactus sentiat sua sensibilia tangendo, an non, inquit hoc autem non est, sed durum, & molle per altera sentimus, quod Arist. dictum uiri etiam doctissimi trahunt ad medium externum, quod tamen in tactu simul a tangibilibus cum ipso tactu immutatur, ad discrimen cæterorum sensuum, in quibus prius immutatur medium, quod etiam accidit nobis ad ignem stantibus, non enim ignis nos contangit nisi per aerem medium, qui quidem aer nos calefacit. causaliter enim ut Auer. docet, prius medium immutatur in alijs sensibus, in tactu uerò simul, at hoc medium externum in tactu nequaquam est causa propinqua immutationis, ueluti in alijs sensibus. si ergo medium in tactu tam internum quam externum quandoque requiritur, etiam speciem pro duci oportebit aliquam, at medium externum non concurrit ut necessarium, sed ut quoddam ineuitabile. Nam inter tangens & corpus quod tangitur fieri nequit, quin aut aer aut aqua non sint media. in alijs sensibus medium externum necessarium est, quoniam sine eo non posset uisus colores uidere, nec auditus sonos, quod in his experimur, qui ob aeris defectum, qui in auribus inerat, non audiunt. cum uero subdit Buccius secus esse de phantasmate, in phantasia, quod in phantasia non eo modo recipitur, quo species uisilis, quoniam phantasma impartibiliter recipiatur in spiritibus, quod si illi hoc loco concesserimus, falsum est hoc distinguia, specie uisibili, quoniam & ipsa non realiter, sed intentionaliler in oculo recipiatur, cum impartibiliter suscipitur, non enim fieri posset ut unico in stanti infinitæ species susciperentur, si partibiliter uelu ti in materia solida susciperentur realiter, ipsi colores. quemadmodum circa finem lib. de sensu a sensilibus copiose ex Arist. sententia docet Auer. ad quem Buccium remitto, ne mihi amplius in tam fœdo errore immorandum sit.

Ad tertiam prætereà rationem descendit, in qua huiusmodi incommodum proponebatur, similem fore susceptionem imaginum in phantasia ei, quæ fit in Speculo, quam descrimine quodam allato dissoluere putat. atq. meam euertere opinionem, cum ex allato discrimine illam corroboret, quoniam si cum iudicio & cognitione phantasma recipiatur in phantasia, igitur secundum esse cognitum suscipitur, non autem reale, quo posito solum. esse intentionale & mere spiritale in phantasia habet, non autem reale aliquod corporeum, uel quod distinguatur ab esse in anima, nisi hoc esse reale ut Buccium hoc doceam prædicamentale uocauerit, quoniam primæ intentiones cum entia quædam sint, ad prædicamenta reducantur. Ex quo ruit solutio ad alterum incommodum proposita, consequi ut non sint qualitates intentionales, cum id ex priori Buccii solutione necessario consequi aperte demonstrauim, nec modo aliquo phantasma qualitatem realem esse, ut ipse fingit, quoniam ex sua positione cum sit corporea, quia mista spiritibus corporeis; sequeretur incommodũ notissi-

notissimam esse reale idem fore cum esse in anima, quod est impossibile cum contradictoria opponantur, quemadmodum antea docebamus.

Nam si uerum foret, quod Buccius scribit de illo insomnio, quod species spiritus informent in primis hoc sequetur incommodum, spiritus organum uidendi esse, propterea quod organum id sit quod actu species efficitur, at spiritus sunt potius instrumentum, quo facultas utitur, non autem ipsum organum. Nec præterea uerum est, spiritus subiectum siue materiam specierum esse, cum illis ut lumen comparetur, ab illis enim collustrantur, uelut colores a lumine, ut uisibiles reddantur, iccirco in articulo mortis spiritibus dissolutis, qui morituri sunt, in tenebris se esse putant, nihilq. uident: quare inepte admodum fingit, ex spiritibus tanquam materia, & speciebus qualitatem quandam realem resultare, cum ex illis & speciebus nihil producatur, quemadmodum ex lumine & coloribus, qui soluat actu ab illis uisibiles redduntur. præterea cum spiritus sint in cótinuo motu, si species in illis ut in subiecto reciperetur, omnia in oculis mobilia apparerent, at mirum non est, si in hoc insomnium Buccius inciderit, cum ad imaginandum eū poeta sit etiam amplisimum cognouerim, ad iudicandum omnium, quos nouerim ineptissimú. Vnde illud pictoribus atq. poetis quidlibet audendi data est equa potestas.

Ad quartam præterea rationem, quam Buccius ad tria redigit incommoda, postremo loco occurrit. Nam primum in quo sequi uidebatur, phantasiam a sensu minime distingui si phantasma singulare atq. materiale fuerit, hunc in modum diluit, distingui ab alijs sensibus proprijs, non autem ab ipso sensu, cum sit sensitiua facultas ipsa phantasia. Quod sane meam rationem nequaquam tollit, cum alio tendat. Nam cum mihi satis perspectum esset, subiecto minime a sensu phantasiam distingui, ob aliam causam primum absurdum proponebam, ut uidelicet colligerem, non esse phantasiam actu sensum, propterea quod noua spectra effingat, ubi a sensus actione excitatur, similia sensibilium formis, quod sensus præstare nequit, qui tantum recipit rerum sensibilium formas, atq. circa eas uersatur. icciroo Iamblicus phantasiam definitam actionem atq. impartibilem autumat eamq. extrinsecus recipiendo minime in formari atq. insigniri, ut a sigillo ceram, sed ab intimis atq. internis excitari ad productionem rationum similium, quemadmodum Plato in Phylebo profitetur, quam ob rem lumini comparatur a quo etiam deducta Arist. profitetur de quibus exacte disserit Simpl. particula 160 lib. 2. de anima. Nam quemadmodum lumen & se ipsum & omnia quæ in ipso sunt claro ostendit, & indicat apparere q. facit, ita etiam phantasia cum se ipsam ostendit, tum id etiam quod ipsa efficit, indicare uidetur, illud autem id est quod phantasiabile, siue imaginabile dicatur, quod quidem uere phantasma est quod sua ipse natura tale est, neq. alterius ad discretionem imaginis quæ alterius est simulachrum. in quo Arist. etiam a Platone & Stoycis minime dissentit, quoniam hoc a sensu distinguatur, quod ex pluribus unum faciat, tum quod

sit in nostra potestate imaginari cum uolumus, non autem sentire, quod quidem non præstaret, si omnino sensui similis foret, cum in specierum receptione iuxta peripateticorum, tum uero in ipsa actione. quare etiam si sensitiua uirtus uideatur, quoniam non fit sine sensu, ab illa tamen distinguitur ratione, quoniam multa efficiat quæ nullus sensus efficere posset. quo sane modo Ego in mea ratione consequi deducebam, ratione uidelicet nequaquam a sensu distingui.

Solutio præterea quam altero adhibet incommodo, minime uideri, quo modo possit phantasma speciem intelligibilem producere, si singulare materialeq. fuerit, probabilis admodum est, principiumq. petere uidetur, cum ego cum illis sentiam, qui profitentur species non ab intellectu agente produci atq. etiam a phantasmatibus, sed tantum excitari illasq. a speciebus siue phantasmatibus produci ratione suæ uirtutis formalis, quemadmodum species sensiles a formis obiectorum producuntur. quare adhuc in suo robore ratio proposita manet, quandoquidem nullum materiale immediate id quod immateriale est producere possit, quia formam immaterialem non habet, in cuius uirtute immateriale aliquod producere ualeat, si simile a sibi simili secundum speciem procreari sit necessarium, color enim in diuisione corporis colorati cum in superficie partium generatur, non a lumine sed a uirtute formali coloris, etiam in tenebris in quibus actu color est generatur. quod etiam phantasmatibus accidit, concesso quod ex illis species intellectiles producantur, ad quarum productionem solum intellectus agens concurrit ueluti lumen, qui quidem nihil tribuit coloribus penes actum primum, at solum penes actu secundum. ex Auer. omniumq. Græcorum sententia, quemadmodum copiose tertio cap. docui. Intellectus enim agens cum sit ab omni materia separatus, nihil nec materiale nec in materiale in phantasmate agere poterit, cum in materia cum eo nullo modo communicet, quare cum cõparetur ut lumen, nihil noui prorsus ab eo in phantasmata prouenit, quoniam lumen sua præsentia solum hoc præstat, ut color actu uideatur, quia sit ratio uidendi, ita certe intellectus agens non est uerum efficiens, sed causa tantum, agendiq. ratio ipsi phantasmati, quoniam dum phantasma actu intelligibile reddit, nil materiale uel immateriale in eo efficit, at solum materiales omnes conditiones & appendices, quæ uniuersalem formam in phantasmate existentem obscurant, atq. impediunt, ne intellectum nostrum mouere possit, suo lumine & præsentia offundit, & obruit, ut sola uniuersalis appareat forma, eaq. sui specie intellectum potentia ad intelligendum moueat. Agens quippe intellectus est ueluti quidam habitus, qui nihil operatur, sed alteri tantum causa est ratioq. agendi, quare nullam gignit intellectus agens speciem, sed solum intelligibilem efficit, ueluti ars pulsandi, quæ non pulsat citharam, sed est causa ut citharedus illam pulset. nec indiget phantasmatibus, quia seipsum intelligens omnia intelligit, sed ista illustrat, ut suum beneficium in intellectum potentia conferat, nam phantasma ea quidem

ratione qua ab agente illuminatum eſt,excitat intellectum noſtrum huneq. ad actum deducit,qui deinde a , phantaſmate commotus , ui & natura propria, rem percipit intelligibilem,quare duo ſolum intellectus agens officia ex Ariſt. doctrina lib.3. de anima. exercet, alterum quoniam quæ ſunt poteſtate intelligibilia, actu intelligibilia facit,alterum autem quoniam ſe ipſum intelligit, at q.omnia ſe ipſum intelligendo , nec aliam toto lib. 3. de anima actionem illi tribuit Ariſt. perperam igitur illam ſuam extractionem ſpecierum imaginatur Buccius atq. agenti tribuit.ad quam ueluti ad refugium miſerorum confugit , non enim agens a phantaſia dependet , ſed materialis tantum , qui aptus eſt fieri omnia intelligibilia, tam materialia qum in materialia, cuius officium eſt ſpecies ſuſcipere,& per illas intelligere,quas quidem abſq. materia recipit, atq. intelligit , quo quidem ab agente diſtinguitur, qui ſe ipſum per accidens uequaquam intelligit, quod contingeret admiſſa Bucij opinione, admodũ trita & uulgari, nec alia officia utriuſq. Auer. inuexit , lib. 3.de anima com.18. ubi agenti tribuit eam abſtractionem quam deductionem de ordine in ordinẽ uocat, poſsibili uerò eam, quæ nihil aliud eſt quam id quod prius eſt intelligere non intellecto poſteriori .

Quæ autem poſtremo loco ad tertium incommodum proponit quoniam ſe queretur phantaſiam habere organum proprium atq. determinatum , quod Ariſt. repugnat . adeo remota ſunt a ueritate peripatetica ut confutatione indigna uideantur , cum ſenſui communi atq. phantaſiæ determinatum organũ nuſquam Ariſt. tribuerit nec peripateticorum aliquis ex illius dogmatibus. Quare inepte admodum ad medicos confugit , qui quidem in his , quæ ab eo proponuntur,etiam non conueniunt cum nonnulli internorum ſenſuum actiones in uarios gradus temperamenti cerebri referant . Quamobrem clariſsimi Moderatores quid nam Buccius ex ſuo Phantaſmate conſequutus fuerit , Veſtrum erit iudicare quibus libenter totum hoc negocium committo, ne mihi Buccianum Phantaſma , quod in ſpiritu animali . reale exiſtit terrorem quandoque incutiat .

F I N I S.



ANTONII BERGAE DISPVTATIO DE PRIMO COGNITO.

Caput primum in quo uarie opiniones proponuntur.



ISPVTATIO proponitur circa præfationem hanc ab interpretibus de primo cognito quam ego huic cōmentario adhibere uolui, ut me a Buccianis calumnijs, defenderem quas in sua de phantasmate disputatione in me tandem euomuit. proponitur itaq. disputatio, quid nam uere sit primum cognitum in cognitione intellectiua, quoniam de sensitiua nulla uertatur controuersia, cum singulare siue indiuiduum primum a sensu ipso sentiatur, id enim, quod sentitur singulare est ex Arist. omniumq. interpretum sententia: quare tota controuersia de notitia intellictiua proponitur, quid nam in illa primum cognoscendum occurrat, an uniuersale quod multiplex est, an uerò singulare, in qua sanè disputatione uarie circumferuntur opiniones. Nam Scotus primo sen. dist. 3. quest. 2. profitetur minus uniuersale, hoc est speciem specialissimam esse primum cognitum, apud intellectum in cognitione ipsa confusa, quæ distinctam antecedit, in qua magis uniuersale est primo notum, quare adhibita distinctione de notitia intellectiua aut confusa aut distincta, quid nam primum cognoscendum intellectui obijciatur, proponi. Nec rationibus destituitur sua opinio, quam hac in primis ratione confirmat, quoniam id uideatur in cognitione confusa primo notum, cuius singulare fortius sensum mouet, sed singulare minus uniueralis, illud efficit, propterea quòd sit sensile proprium, non autem commune sigitur minus uniuersale pro specie specialissima erit primo notum. deinde

inde alia ratione id ostendere nititur, propterea quòd causa naturalis nisi impediantur, semper effectum perfectissimũ producunt, quem producere possunt quia agant secundum omnem illarum uim & facultatem, causę igitur nostrę intellectionis, quæ duę sunt, phantasma siue species intelligibilis, nec non intellectus agens, nisi impediantur producent perfectissimã noticiam quã producere poterunt, hæc uero est notitia speciei, specialissimę quoniam est facilioris abstractionis, quia est a magis similibus, quã abstractio magis uniuersalis, erit igitur minus uniuersale primum cognitum uia originis a nostro intellectu, in confusa cognitione, quoniam in distincta magis uniuersale est primo notum, quod hac ratione ostenditur, quoniam nihil distincte intelligatur, nisi primum quæ illius essentiam constituunt intelligantur, magis autem uniuersale quatenus ens, est de ratione essentiali omnium particularium atq. entis conceptus est simpliciter simplex, cum non sit ressolubilis in alium conceptum, propterea quòd nihil prius habeat, quod sit illius essentia, igitur magis uniuersale ut ens, cognitione distincta primum a, nostro intellectu cognoscitur.

Tomas autem prima parte summę. q.86. arti.3. profitetur magis uniuersale in notitia confusa primum a, nostro intellectu cognosci, atq. hoc potissimum fundamento nititur. Nam intellectus procedens a potentia ad actum tendit ab imperfecto ad id quod perfectum est, in quorum medio aliquid constituendum est, tale uerò est magis uniuersale respectu minus uniuersalis, cum cognitio in uniuersali sit cognitio in potentia, erit igitur magis uniuersale primo cognitum in notitia confusa, nostro intellectui, ex prima uerò ratione Scoti sequitur actum in eodem potentiam antecedere, nec non notitiam distinctam eam, quæ confusa est, quod Arist. repugnat initio operis de physica auscult. quo loco docet, id quod confusum est, nobis esse primo notum, quoniam totius rationem habeat, quod etiam ita se habere experimur, quoniam notitia secundum quid, eam quæ simpliciter dicitur, antecedat, quoniam primum opus sint intellectum disponi, priusquam actu intelligat: quibus hoc modo propositis, primam Scoti diluit rationem, quoniam maior propositio uera sit, dummodo id quod patitur, cum priuatiue tum positiue dispositum sit, pro forma ultima suscipienda, quo in sensu minor propositio negatur, quoniam intellectus noster possibilis, etiam si priuatiue sit dispositus ad omnia intelligibilia, non tamen est positiue dispositus, cum enim sit ordo essentialis inter conceptus ueluti in formis, opus est in intellectione conceptum uniuersaliorem antecedere, in notitia uerò distincta, magis uniuersale nequaquam esse primo notum, aduersus Scotum ita demonstrare nititur, propterea quod Ens quatenus Ens non sit primum intelligibile, sed quatenus est Ens actu, iccirco Ens potentia si intelligatur, per Ens actu intelligitur, quamobrem magis uniuersale in notitia distincta non erit primo notum, ex quibus concludit in cognitione actuali intellectus magis uniuersale non esse primum cognitum distincte sed confuse, quod etiam in notitia sensitiua accidere solet.

Præter

Praeter has opiniones extremas, alie insurrexerunt, quarum priorem Gregorius Ariminensis summus Theologus inuexit, 2. sen. dist. 3. q. 1. art. 1. singulare illud esse, quod primum ab intellectu nostro cognoscitur, quod quidem materiale est, nec non habens esse extra animam, quare singulare in notitia confusa tam complexa quàm incomplexa profitetur, procul dubio primum cognitum fore, nititur autem hac ratione potissimum. Nam uniuersale cum non habeat esse extra animam, sed in anima, antequàm ualeamus conceptum uniuersalem alicuius rei formare, necessarium est, aliquod precognoscere singulare, a quo abstrahat ipsum uniuersale, quod si quispiam occurrat, supponi quidem singularis notitiam, at illam pertinere ad sensum, non autem ad intellectum, subiungit ab una eademque facultate utrumque cognosci, quoniam unicus distinguens aliqua duo, ut illa etiam cognoscat necessarium extat, ex Arist. sententia in cap. de sensu communi lib. 2. de anima, praeterea alia ratione ostendit, quoniam Arist. lib. 4. Metaphy. doceat, Neminem imponere nomina rebus, quas ignorat, cum autem intellectus singulis rebus nomina imponat, quoniam Bruta cum eo careant id praestare nequeant, ut homo, igitur necessarium est, ut singulare, a nostro intellectu dignoscatur. Secundam deinde rationem adiungit, qua adhuc contendit, singulare primum cognitum fore, Nam quicquid prima intentione ab intellectu intelligitur, est iterum, igitur quicquid ab eo prima intellectione, quae confusa est intelligitur, est singulare, non autem uniuersale, quod etiam docet Arist. lib. primo post. analyt. quo loco docet singularia nobis notiora esse, uniuersalibus, nec non contex. 3. lib. 1. phy. composita nobis notiora esse.

Antonius Andreas ex scola Scoti, quibusdam distinctionibus propositis suam adhibet sententiam. Nam uniuersale in causando aut est complexum, aut incomplexum, incomplexum est minus notum, quoniam quanto aliquid uniuersum magis est tanto est ab ipso sensu remotum, complexum uerò est nobis notius, ex Arist. 2. metaphy. quia principia simpliciter prima sunt ueluti locus ianue. Vniuersale porro in praedicando distinguit, quod si conferatur ad singulare, uel ad minus uniuersale, in cognitione generis singulare est notius, quod hac ratione ostendit, quod enim prima notitia notius existit simpliciter, prius est notum, sed prima notitia sensitiua est in qua singulare est prius notum, igitur absolute & simpliciter erit primo notum, cum per se sentiatur, uniuersale uerò per accidens, si uero contulerimus magis uniuersale singulari in notitia intellectiua, magis uniuersale erit primo notum, supposito quòd uniuersale per se intellectus comprehendat, singulare uerò per accidens, quoniam apud tenentes utrumque per se intelligi, uidetur singulare esse primo notum, quia principia artis & scientiae per inductionem cognoscantur, si uero conferatur magis uniuersale ad minus uniuersale, penes eorum indiuidua, singulare magis uniuersalis est primo notum, singulari minus uniuersalis, tam in sensu quàm in ipso intellectu. cum sit magis confusum, si uerò conferantur

magis

magis uniuersale & minus uniuersale ad intellectum, aut hoc erit in notitia confusa, aut distincta, in notitia distincta magis uniuersale erit primo notum, in confusa uerò minus uniuersale, quia compositum semper notius sit partibus componentibus.

Marcus Antonius Zimarra in sua de primo cognito disputatione profitetur, simpliciter siue uniuersaliter uerum nequaquam esse, quòd semper in notitia confusa ipsum uniuersale magis sit primo notum, quoniam quandoq. fieri potest, ut minus uniuersale sit primo notum, ut cum comparatur magis uniuersale minus uniuersali, ut pars, hoc uerò contingit, quando minus uniuersale consideratur ut definitum, quoddam & totum, si uerò comparetur magis uniuersale minus uniuersali ut est totum quoddam, distinguendum adhuc est, quoniam singulare magis uniuersalis, si fuerit magis sensatum, erit magis uniuersale primo notum, si uerò fuerit singulare minus uniuersalis, tunc erit minus uniuersale primum cognitum.

Quibus meam subscribere non uerebor opinionem ex Arist. dogmatibus desumptam, id quod est confusum in quacunq. notitia esse primo notum, qua nitimur in scientijs, quæ sanè duplex est, altera quam generis uocant, quæ componitur ex sensu atq. intellectu, altera merè simplex, quæ solius est intellectus, in prima ergo cognitione in qua a sensatis ad intellecta proficiscimur, singulare est primo notum, quia uniuersalis, notitia ex sensatis dependeat, hoc autem confusum est, quoniam totum sit in altera uerò notitia quæ est solius intellectus, magis uniuersale est primum cognitum, quia etiam confusum sit & quoddam totum si minus uniuersalibus hoc est speciebus specialissimis conferatur, cum autem in quacunq. notitia respectu nostri modi cognoscendi, confusa semper distinctam antecedat, iccirco in composita notitia confusa primo notum erit indiuiduum atq. singulare, in altera quæ simplex est, & confusa erit magis uniuersale, indistincta uerò his opposita, in utraq. cognitione: ex parte uerò accidentium quorum est sensus, communia primum occurrunt cognoscenda, secundo uerò loco propria, & secundũ tempus & secundum locum, quod aperte docet Arist. si recte intelligatur in præfatione lib. phy. quemadmodum exempla, quæ proposuit satis indicant, quare id quod confusum est rationemq. totius habet, in utraq. notitia eaq. confusa, primo notum est. magis itaq. uniuersale atq. ipsum singulare siue indiuiduum de quo sane in præfatione ipsa disseruimus, ne scrupulus aliquis relinquatur, propterea quod duobus nitatur Arist. processibus, in quorum altero a sensu ad intellectum progredimur, ab effectis in causas. in altero uerò in ipso intellectu consistimus, quoniam a magis communibus ad minus communia proficiscamur.

Caput secundum in quo ueritas opinionum expenditur.



VM opiniones recensuerimus, necessarium est ut unamquamq; diligenter perpendamus, ut ueritas in hac disputatione appareat, in primis autem Scoti opinio peripatetica nequaquam est, quoniam oppositum contingere in quauis notitia experiamur, confusam rerum notionem antecedere distinctam, quæ quidem in his quæ communia sunt, constituta est, præterea quoniam ab extremo ad extremum non detur transitus absq. medio, erit igitur necessarium conceptũ generi cum specificum ante ire, quia intellectus non uidetur satis dispositus ad speciei conceptum, nisi primum finxerit generis conceptum. præterea ualide est a Toma hæc opinio impugnata, ita ut facillimum sit illius dissoluere rationes. Ad primam igitur dicimus, non semper contingere, ut singulare speciei specialissime fortius moueat sensum, quoniam in cognitione confusa singulare magis uniuersalis, illud fit, quod primum sensum mouet, ut aliquod animal quam tale animal, quod exemplo puerorum docuit Arist. qui primum omnes uiros patres, omnes fœminas matres appellant. Ad secundam dicimus, maiorem ueram fore, si utroq. modo intellectus dispositus fuerit, priuatiue atq. etiam positiue ad formam suscipiendam, quo posito minor falsa est, quoniam intellectus noster solum priuatiue sit dispositus ad ipsa intelligibilia, positiue autem dispositus nequaquam dicitur, nisi præcedentibus conceptibus uniuersalibus, maxime. Ad tertiam uerò rationem minorem negamus, propterea quòd genus sit facilioris abstractionis, cum abstrahere nihil sit si communiter sumatur, quàm unum absq. altero intelligere, ut formam aliquam naturalem absq. materia.

Tome opinionem cum aliqua ex parte cum nostra conueniat, minime confutabimus, quandoquidem in cognitione intellectiua confusa proculdubio distinctam antecedat.

Accedamus ergo ad Arriminensis opinionem, quæ inter cæteras ineptissima est, & merum delirium. in primis igitur non est peripatetica, cum falso nitatur fundamento, quoniam etiam si in intellectione per abstractionem, intellectus noster singularia supponat, a quibus dependet, ut occasionem habeat intelligendi, nihilominus tamen, illa perse non intelligit & primum, sed per accidens & reflexe ex Arist. sententia lib. 3. de anima. quoniam intellectus non carnem sed carnis essentiam intelligat, atq. quod sensus hoc ab intellectu distinguatur, quòd sit singularium, sensus uero uniuersalium. Nam si singularia intellectus noster primum intelligeret, opus esset intellectum etiam diuinum illa comprehendere, quod negat Arist. lib. 12. Metaphysicorum, in directa igitur cognitione solum ab illis intellectus mouetur atq. excitatur, non autem illa intelligit, nisi ex uniuersalium cognitione atq. reflexe. cum in

similitudo

similitudo intercedat inter facultatem atq. id quod actu cognoscit, si intellectus primum & per se singulare intelligeret, sequeretur uirtutem singularē fore & materialem, non autem immmaterialem atq. uniuersalem, cum ab organo corporeo nequaquam dependeat. Aliud præterea incommodum sequeretur, actum sensus atq. intellectus unum numero esse, minimeq. distingui, quod aperte Arist. reclamat lib. 2. de anima contex. 62. quo loco tradit, actu sensum ea efficere quæ sunt extra animam, ipsum inquam uisibile atq. audibile cuius causa hæc est, actu namq. sensus singularium est, scientia uerò uniuersalium, hæc autē quodàmodo in ipsa anima sunt, quapropter intelligere quidem cum quispiam uoluerit, in ipso est situm, sentire autem non collocatur in ipso. Ex quo sanè loco colligunt Græci cum Auerroe, intellectum solum esse formarum internarum, atq. circa eas uersari, cum enim uniuersalia indiuisibilia sint atq. incorporea in anima, quæ incorporea est manere possunt, sensilia uerò quæ corporea sunt minime. intellectus igitur solum mouetur, actumq. suum exercet per huiusmodi formas quas statuunt. Viuersalia ab uniuersalibus in prædicando distincta. atq. illa esse prima uniuersalia quæ quidem causæ sunt particularium, & nihil aliud sunt quàm formæ ipse intelligibiles, quæ a phantasmatibus distinguuntur, quoniam ille actu sint in intellectu, actuq. intelligibiles, phantasmata uerò solum potestate huiusmodi sunt atq. uniuersalia, proptereaquòd phantasma proprie cum nihil aliud sit, quàm respectus naturæ communis in ipso singulari repertæ, uniuersale existit, aptum ut speciem uniuersalem producat.

Præterea intellectus si singulare intelligit, aut intellectu agente aut possibili, non agente cum ille solum se ipsum intelligat ex Arist. atq. Auer. sen. lib. 3. de anima, non materiali quoniam non distingueretur receptio illius a receptione primæ materiæ, quæ est formarum singularium, quod tamen falsum est, quoniam cum forma uniuersalis sit solum uniuersales formas uniuersaliter recipiat. Præterea sequeretur intellectum speculatiuum ab actiuo minime distingui, quia formas in ipsis phantasmatibus etiam intelligeret, quod tamen tantum actiuum præstare tradit. Arist. lib. 3. de anima contex. 32.

Quæ quidem directo pugnant cum Buccij opinione, quæ singulare per se a nostro intellectu intelligi profitetur, aiijs etiam adhibitis rationibus a nominalibus desumptis, quas ne cristas erigat cum sua dispu. ridicula de cognitione singularium dissoluere properabo, etiam si Zimarra, Gandauensis, Iauellus & alij uiri docti illas subuerterint.

A priore uerò initium sumam, in qua hoc pacto arguit, illud per se a nostro intellectu intelligitur, quod est maxime ens. singulare est huiusmodi igitur. Respondeo minorem simpliciter ueram nequaquam esse, quoniam ipsum uniuersale sit maxime tale, singulare uerò ut recte notant interpretes secūdū famositatem, uniuersalia enim in causando ut Deus, prima materia, intelligentiæ omnes sunt maxime entia, cum esse singularium ab illis depēdeat, quo-

niam sint entia per participationem non autem secundum essentiam. Hinc Deus est summum & primum ens a quo cætera omnia dependent. falsum præterea est, quod Buccius subiungit, uniuersalia nihil esse aut posterius, quoniã hoc solum ex sen. Alex. omniumq. Græcorum lib. 1. de anima, de uniuersali ut genus hoc est de uniuersali in prædicando, ueritatem habeat, non autem de uniuersalibus in causando, quæ sunt per se Entia.

Ratio secunda qua nititur erat nisi intellectus per se singularia intelligat, manca erit illius cognito, quæ sanè ratio concluderet, si nullo modo singulare intelligeret, cum autem illa nobiliori modo quàm Sensus cognoscat, suam perfectionem intellectus seruat, cum omnia intelligat cum materialia tũ in materialia ex Arist. sen. lib. 3. de anima: Cum uerò subdit, nisi singularia intelligat, non poterit ab illis species colligere, Dicimus satis esse intellectui ut a phantasmatibus quæ sunt formæ internæ moueatur, in abstractione, nec uerum est, quod a singularibus extra animam moueatur intellectus. ueluti Buccius putat, cum id iam docuerimus Arist. repugnare lib. 2. de anima contex. 62.

Ratio tertia, quam adhibet, desumptam ex intellectus operibus, facillime tollitur ex his, quæ Arist. tradit lib. de memoria & reminiscentia, quoniã ea uideatur intellectus præstare, media cogitatiua, quæ quidem est intellectus in homine particularis, quare fieri potest, ut præmissæ, quæ sunt uniuersalia complexa fiant a cogitatiua, intellectus uerò ex illis conclusionem colligat uniuersalem. Cum enim maximam similitudinem atq. propinquitatem cum intellectu habeat, in his operibus illa intellectus utitur. Nec urget similitudo sensus communis allata.

Nam sensus communi cum sit uirtus, quæ de proprijs obiectis iudicium facere debet, necessarium est, ut utrumq. cognoscat, cum sit uirtus particularis, intellectus autem cum sit uirtus uniuersalis, illi sat est, ut moueatur a singulari, quia discrimẽ uniuersalis & singularis cognoscat, per rationes & quidditates utriusq. quæ sunt uniuersales. Nec etiam uerum est, quamcumq. potentiam, quæ discrimen inter duo diuersa cognoscit, utraq. cognoscere, propterea quòd id solum requiratur, quando non sunt apta cognosci, præterquã notitia unius generis, ut puta notitia sensitiua, uel sola intellectiua, ueluti duæ species specialissimæ: singulare autem cũ aptum sit a cogitatiua cognosci, uniuersale uerò ab intellectu, iccirco intellectus utens cogitatiua, uniuersale a, singulari distinguit, quare Arist. auct. a Buccio proposita, solum ueritatem habet, quando utrumq. extremum solum aptum est cognosci notitia, quæ sit unius generis: nec ob id necessitas sensus communis tollitur, ut putat Buccius, imo requiritur in discrimine propriorum sensibilium.

Ratio quarta opus abstractionis notitiam singularium postulare, leuissima est, quoniam solum postulat cognitionem naturæ communis, quæ reperitur in singularibus, quia intellectus solum a, phantasmatibus & speciebus internis

nis moueatur, non autem ab externis ueluti antea docuimus.

Ratio quinta qua utitur eum prima phylosophiæ rudiméta ignorare aperte ostendit, nec mirari non potui, huiusmodi ratione illum cum Francisco Picolomineo celeberrimo phylosopho uti, nequaquam erubuisse, cum peripateticorum nullus ex Arist. sen. docuerit, materiam primam unam numero, atq. singularem fore, propterea quòd sequeretur illam incommunicabilem esse, cum unum numero definitum ex Arist. dogmatibus in Metaphy. sit incommunicabile, ut Socrates, sequeretur deinde falsum esse illam priuatione siue negatione formarum atq. analogia intelligi, quemadmodum Buccius asserit. non potui non dolere, cum uiderim in tam apertum errorem Buccium incidisse, in quo in primis physiologiæ initijs toto cœlo aberrat, res profectò publico phylosophiæ professore indigna.

Ratio sexta qua utitur hæc est, intellectus propositionem astruit ex subiecto singulari prædicatoque uniuersali, ut in hac Socrates est homo, deinde uerò a singularibus proprietates negat, igitur necessarium est, ut per se singularia cognoscat. Hęc ratio nihil concludit, propterea quòd intellectus affirmet & neget proprietates de aliquo singulari, non quatenus est suppositum hominis, sed quatenus habitudinem habet ad uniuersale, sub quo comprehenditur, quo quidem modo non est indiuiduum loco & tempore signatũ, quemadmodum tradit Auer. lib. 3. de anima com. 9.

Ratio septima, qua nititur, hæc est, singulare definitur, ergo per se intelligitur. Assumptum propositum negamus, quoniam id aperte Arist. repugnet lib. 8. metaphys. ubi passim docet definitionem solum uniuersalis esse & speciei, ut circuli, nõ autem huius circuli, quoniam de singularibus scientiæ esset, quatenus singularia & corruptibilia, si illorum esset per se definitio, quod etiam aduersus Platonem Arist. docet, quoniam singulare solum a sensu exteriori cognoscatur. Nec urget quod subscribit, non definiri ut meras notiones sed ut sunt in singularibus, quoniam hoc nõ efficiat ut singularia definiantur, sed ut non definiantur ac si essent cum Ideis Platonis a singularibus penitus separatæ. Nam singularis quatenus singulare est nullam definitionem fore eo constat quod nec singularis ęterni definitio sit atque demonstratio ex Arist. præceptis lib. 1. Post. nec non lib. 7. Metaphy. contex. 55.

Postrema etiam ratio quam Buccius attulit, communis admodum est, intellectus obiectum est totum Ens, quod uniuersale atq. singulare continet, igitur necessarium etiam est ut singulare intelligat. Nam ratio hæc nihil concludit, quoniam ad cognitionem Entis sat est, ut sub ratione entis atq. eminenter singulare cognoscat, non autem quatenus singulare, quia sequeretur intellectũ solum hoc aut illud singulare cognoscere, quod falsum est, cum id ex Arist. sen. etiam sensui repugnet, qui quidem est coloris non autem huius coloris, ob eandem rationem. Buccij autem rationibus dissolutis, operæ pretium est, ut eas quas pro Ariminense attulimus etiam dissoluamus, ne cætera quæ in ue-

ram huius disputationis determinationem Buccius cum suis Nominalibus propositæ scrupulum aliquem relinquant.

Rationes autē Ariminensis facillimę diluuntur quas pro eo attulimus primę autem non cogit, quoniam supponantur singularia ab intellectu ut nota sensui, non autem intellectui, cum omnis nostra cognitio ab ipso sensu dependeat, quare etiam si utrumq. intellectum cognoscere opus sit, quoniam illa distinguat, non tamen secundum eandē rationem, quia directe uniuersale, reflexe uerò ipsum intelligat singulare. Secunda præterea hunc in modum dissoluitur, minimè cognosci singulare ab intellectu, ut indiuiduum loco & tempore signatum, sed ut est suppositum hominis, quod habitudinem habet ad uniuersale, sub quo comprehenditur. Tertia uero ita tollitur, quoniam cum abstrahit tunc cognoscit singulare, ut est potentia uniuersale, non autem actu singulare. Quarta diluitur propositionem Arist. ueram esse in notitia generis, non autem in simplici quæ solo intellectu nititur. De opinionibus Antonij Andreæ & Zimare cum ex illis distinctionibus aliquid boni habeantur eas suis auctoribus relinquemus atq. eam quam ex nostra sententia postremo loco proposuimus solam dubitatione carere atq. peripateticam fore ostendemus. Nam cum alia species notitiæ in nobis non sit, præter eam, quæ ab effectis ad causas progreditur, aut quæ in solis causis consistit, quarum aliæ sunt priores aliæ posteriores, aliæ uniuersales, aliæ particulares, alię remotę, aliæ uerò proximæ, ex Arist. doctrina lib. 1. phys. Ea uidentur primum cognosci, a quibus in utroq. processu auspicamur, nec in priore quidquam primo cognoscitur, quàm effectus in posteriore id quod magis commune est, quia utrumq. confusum sit, & rationem totius habeat. Nec obstat, quod Arist. in post. asserat, alia notiora nobis alia naturæ, notiora nobis esse singularia, quia eo loco Arist. non accommodat distinctionem eam alicui determinatæ notitiæ, ueluti lib. 1. phy. in quo duos processus proponit, communia ueluti uniuersalia in causando & prædicando in cognitione intellectiua priora sunt, minus uerò communia posteriora, quia ut notitia confusa distinctam antecedit, ita etiam ea quæ confusa sunt, præcedunt ea, quæ definita sunt, quam quodammodo attigit Tomas Antoniusq. Andreas, nec aliter sentiendum est, cum hoc sit in ui Arist. axioma indubitatum, sensum ab intellectu distingui, quod sit, sensus singularium, intellectus uerò uniuersalium, nec eadem ratione intellectum utrumq. intelligere, cum reflexe singulare intelligat, directe uero uniuersale, ex Arist. lib. 3. de anima 9. Essentiam carnis non carnem per se intelligat, quarum ceruicosi illi sunt, qui in re hac aliter scribere, Aristotelisq. dogmata euertere nequaquam erubuerũt.

Constituendum igitur in dogmatibus peripateticis est, per se singulare aut primum secundum quod singulare, nequaquàm a nostro intellectu intelligi, sed reflexe & per accidens, quemadmodum expresse lib. 3. de anima contex. 10. Arist. docuit & alijs suis operibus. Nec alicuius sunt momenti quæ

Buccius

Buccius in hunc modum cognoscendi proposuit, quia directe feratur in obiectum, quod singulare est, quoniam id penitus falsum sit, cum intellectus directe in formas internas feratur, non autem externas, quemadmodum antea docuimus ex Arist.sen.lib.2.de anima.contex.62. quæ quidem formæ non sunt uniuersalia in prædicando sed in causando. Nec Auer. inuentum est de cogitatiua cum illam Arist. aperte lib.3.de anima introduxerit, quo loco mentionem habet de intellectu passiuo, qui in hominis interitu corrumpitur, quamobrem, post mortem non recordamur operum uitę, quod lib. de mem. & remi. docet, medio eius intellectum circa singularia uersari, singulare igitur quatenus singulare cum sit materiale, nulloq. modo secundum quod materiale ab intellectu cognoscatur. icciirco singulare solum reflexe ab intellectu cognoscitur, quia speciem intelligibilem cognoscit separatam fuisse ab ipso phantasmate, de quo copiose differit Tomas in quęstionibus de Veritate. Nec pręterea urget, quod a Buccio in determinationem proponebatur, quoniam reflexio quam Arist. adhibet cognitioni singularium, minime eadem sit, cum reflexione corporea & materiali, nec ad singulare, ita ut ab uniuersali ad singulare descendat, sed intellectus a, forma rei singularis, quę in phantasia est excitatus, ad illius quidditatem reflectitur, in qua intelligitur singulare non tamen quatenus singulare, sed quatenus est potentia uniuersale. Quare minime uerum est, intellectum ferri directo in obiectum, quod actu in rebus existit, sed ad illud quod actu est in ipsomet intellectu, quia ad ea quæ actu in rebus sunt, cum sint formæ sensiles atq; externę, intellectus nequaquam feratur, sed tantum sensus. Quod uero subdit, uniuersale pro re nullo modo actu existit nisi potentia in rebus, falsum est, quoniam uniuersalia in causando quæ sunt uniuersalia pro re actu per se sint ut Deus intelligentiæ. icciirco dicuntur uniuersalia ante rem. & hæc priora sunt singularibus, uniuersale logicum fit quidem ab intellectu, non autem physicum, taleq. est in singularibus extra animam, nec ob id sequitur quod debeat primum intellectus intelligere ea quæ actu sunt ut singularia, quia intellectui sat sunt quidditates rerum, ut omnia materialia intelligat, quæ in intellectu actu esse habent. ita ut tantum de uniuersali pro intentione, non autem de quocumq. uerum sit, illud ab intellectu fieri, quoniam etiam cessante intellectus operatione est natura aliqua communis in rebus, ut prima materia si enim uniuersale singularibus posterius foret, sequeretur Eternum posterius esse corruptibili, quod falsum est. Erit igitur uniuersale ante rem secluso intellectu, quamuis illi non conueniat uniuersalitas, quia uniuersale ante rem non dicit intentionem, sed naturam uel fundamentum intentionis remotum, quod etiam asserendum est, de uniuersali in re.

Dilucatio

Antonij Bergæ.

Disputatio de Regressu.



CVM philosophiæ studiosi me admonerent, ne in hoc meo commentario disputationē de Regressu prætermitterem, ut illis omni ex parte satisfieret, etiā si logica magis quàm naturalis uideatur, huiusmodi disputatio, illam tamen breuiter atq. exacte attingere institui, cum philosophi celebres adhuc ambigant, an in naturalibus demonstrationibus detur nec ne, in qua sanè disput. hac methodo incedam, primum quid nam regressus ipse sit docebo, secundo loco opiniones cum rationibus, quibus potissimum nituntur recensebo. Postremo autem quæ nam peripatetica uideatur, demonstrabo, nec non rationes diluam, quæ illam oppugnare uidebuntur.

Quod autē ad primum attinet. Regressus nihil aliud est, quàm nexus duorum processuum, quorum alter ab effectu in causam, alter uerò a, causa ad effectum progreditur, qua sanè ratione a circulo distinguitur, qui quidem nihil aliud esse uidetur, quàm reditus ab eodem in idem in uno atq. eodem processu. Qui igitur regressum dari negant. his potissimum rationibus nituntur, primū autem quoniam ex Arist. sententia cōspicuum sit, quamcumq. notitiam ex notioribus esse, quo quidem posito. In secundo processu aut erit causa magis nota, aut minus, aut equaliter cum effectu, non magis, cum ex effectu cognita fuerit, non minus quia minus notum nullam fidem efficit, non etiā equaliter, quoniam sequeretur secundum processum non esse a, notioribus. Præterea agens cum non agat ultra proprias uires, causa cuius si est tantum habetur in secundo processu ipsum propter quid dare non potest. quamobrem nullo modo datur regressus ad eandem passionem, sed tantum ad diuersas, quemadmodum colligitur ex Arist. lib. 3. physi. 31. & 4. 41. in tractatione infiniti & loci, quo loco non regreditur ab eiusdem accidentibus a, quibus processit, qui uero Regressum admittunt, inter se dissentiunt, cum alij cum negotiatione intellectus, alij uero absq. negotiatione introducant. Ratio autem qua potissimum utrique nituntur, huiusmodi est nisi regressus concedatur, hoc sequetur in primis incommodum, aliquod scibile reperiri, quod quidem numquàm sciretur, propterea quòd in primo processu procedimus ab effectu ad causam, in quo solū causam esse cognoscimus. In secundo autem propter quid effectus cognoscitur, si ergo secundus processus nequaquàm detur, propter quid effectus ignorabitur. quo posito, sequetur demonstrationem propter quid nequaquā dari, quod falsum est, in regressu tamen alij negociationem introducunt, quoniā priusquàm regrediamur a, causa ad effectum, primum necessarium sit expendere, an causa propinqua sit an uero remota. cum id minime habeatur ex processu ab effectu in causam. Qui uerò negotiationem reijciunt, dicunt id per accidens contingere, propterea quòd regressus uere sit a causa immediata ad suum effectum, & econtra. ubi negociatione opus nequaquàm est. Quod uerius esse cum arbitre-

mur

mur iccirco. Regressum dari profitemur, absq. negociatione intellectus, quo quidem utitur Arist. lib. 8. phys. cum ex motu æterno motorem æternum concludit, & econtra, nec non lib. de cœlo, cum stellas sphæricas ostendit quoniam fixe sint, atq. fixas iccirco esse, quoniam sphærice sint, demum autem lib. 6. phy. contex. 15. si maguitudo diuisibilis in infinitum uelocitas tarditasque crescit in infinitum, & econtra, quibus locum 2. post analyt. addere possumus, ubi inquit quod non scintillat prope est & econtra, ubi etiam ex madefactione terræ pluuiam concludit, nec non ex ipsa pluuia terræ madefactionem. eo enim tantum utitur Arist. in conuertibilibus in quibus nulla est opus intellectus negociatione. nisi due fortasis ad eundem effectum causæ concurrant de quibus ignoramus, quæ nam illarum causa sit immediata, ut cum dicimus lumen & motum causas caloris esse. Rationes autem quæ opinionem hanc impugnare uidebantur, facile diluuntur. Ad primam igitur dicimus causam magis notam esse in secundo processu, quoniam suo loco collocata cum sit, propter quid de ipso effectu reddere potest, quemadmodum colligitur ab Arist. lib. Top. 6. quo loco docet idem contingere in ipsa rerum definitione, cum partes definitionis suum locum obtinuerunt. in secundo itaq. processu causa cuius si est primus reddidit processus cum sit in suo loco, præstat quicquid causæ conuenit, hoc est propter quid ipsius effectus, cum autem dicebatur non esse ad easdem pasiones, dicimus tunc uerum regresum minime fieri. constituendum ergo est in naturalibus demonstrationibus, quæ a causa inmediata ad suos effectus incedunt, aut econtra, uerum regresum dari absque negociatione intellectus, quo quidem utitur Arist. in rebus difficillimis, ut exactam magis notitiam consequamur. Hęc sunt quæ ut alijs non autem mihi aliqua ex parte satisfacerem, prælo cõmittere uolui, ne mihi aliquando Buccianis imposturis cædere contingeret, etiam si illis subreptitium testimonium adiunxerit, quemadmodum nonnulli eorum qui ad id rogati fuerunt palam testati sunt, cum uiris alijs candidis & præclaris, qui ut æquitas ipsa postulabat, incorruptam fidem præstiterunt, omnium eorum, quæ in ipsa totius disputationis præfatione ad Buccij calumniam retundendã proposui, inter quos amplum testimonium Eccellentissimi in Acadæmia professores fecerunt, Dominicus Bonus Lucẽsis Serenis. Ducis medicus, & praticus matutinus. Bartholomeus Ferrerius logices publicus professor quem Buccius falso testem adhibuerat. cum die disputationi constituta abesset. Bartholomeus Saluius, Theoricus Pomeridianus, nec non Baptista Femellus logices publicus ex ordine professor cum alijs multis philosophiæ m edicinæq. studiosis, quorum testimonium ne duellatorem agere uiderer meis lucubrationibus addere nolui, cum id præstare uiro ingenuo atq. philosopho in dignum proculdubio uideatur. Nam me disputationem recusauisse cum eo nequaquam putandum est, qui in congressibus semper obmutuit, præsertim cum ab eo sciscitarer, an species ipse intelligibiles substantiæ an accidentia forent, ad quod etiam semel atque interum interrogatas, nihil aliud respondere potuit, quem

spectra

spectra atq. simulachra esse, de quo nemo mirabitur, cui doctrina huius hominis nota fuerit, qui adeo stupidus est ut primo cap. suę dispu. admittere nequeat, scientiam non esse cognitionem distinctam, cum tamen scientiam quę ex communibus causis oritur, distinctam minime fore, etiam philosophiæ Tirones intelligant, quia distincta tantum illa sit, quæ ex proprijs ducta est: Quæ res quemadmodum cetera quæ edidit, illum prima peripateticę disciplinę dogmata ignorare satis ostendit, in quibus etiam sibi constare non potest, cum modo in unam, modo in alteram sententiam inclinet, dogmatibusq. dubijs propositis, nequaquam erubescat meas rationes dissoluere, quod Buccinum logices præcepta ignorare aperte indicat. in quem fusius inueherer si illius lucubrationes quas ex Betro Brucellano, Inguen Burleo Burlisero Buridano ridiculis sophystis ad uerbum desumpsit, fucco quodam dicēdi adhibito, mea opera dignæ uiderentur.

FINIS.